DE CICERONIS COMMENTARIO DE CONSULATU GRAECE SCRIPTO A PLUTARCHO IN VITA CICERONIS EXPRESSO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI IENENSI

PROPOSUIT

ERNESTUS SCHMIDT,
LUBECENSIS.

LUBECAE.
TYPIS EXPRESSERUNT FRATRES BORCHERS.
MDCCCLXXXIV.

Hodierno die viri docti id imprimis agunt, ut accuratissime inquirant, e quibus fontibus ea petita sint, quae nobis a veteribus rerum scriptoribus traduntur. Nam tum demum et de rebus gestis et de ipso scriptore non inique iudicabimus, cum quibus testimoniis ille nitatur et qua ratione iis usus sit, diligenter exploraverimus. Neque igitur quemquam esse credo, qui magni interesse omnium nostrum neget scire, unde Plutarchus rerum gestarum, quas memoriae prodidit, notitiam hauserit, praesertim cum omnia fere, quae ab ultima antiquitate usque ad ipsius aetatem facta sunt, modo leviter transierit ac tantummodo perstrinxerit, modo copiosius uberiusque descripserit atque saepenumero solus, quoniam permultorum scriptorum opera interierunt, multis de rebus iisque gravissimis nos certiores fecerit. Quod cum recentiores et philologi et historici intellexissent, in Plutarchi singularum vitarum fontibus investigandis operam consumpserunt. Sed non est, quod horum opusculorum multitudinem enumerem: satis habeo eos laudasse, qui cum de eadem re, quam nobis proposuimus tractandam, dissererent, sententiam protulerunt Plutarchum in vita Ciceronis conscribenda huius commentario de consulatu Graece scripto usum esse. Atque ut Heerenium[1]) praetermittam, qui enumeratis auctoribus ab ipso Plutarcho citatis accuratiorem fontium pervestigationem omisit, quamquam qua fuit sagacitate multa et vera invenit: de recentioribus Lagum Weizsaeckerumque commemoro[2]). Quorum quia

[1]) Heeren, de font. et auctor. vit par. Plut. c. IV. Gotting. 1820.
[2]) G. Lagus, Plut. vit. Cic. script. fascic. III—V. Helsingf. 1847/48. P. Weizsäcker, Cic. Hypomnema u. Plut. cfr. Fleck. Jahrb. f. Phil. 1875 p. 417 sqq.

alter, quantum ex ea commentationis parte cognovi, quam manibus tenui, inveteratam illam fontium indagandorum rationem secutus, ubicumque similitudinem quandam quamvis parvam cum Cicerone deprehendit, demonstrare studuit Plutarchum illius opera perdiligenter evolvisse atque praeter commentarium illum orationes Catilinarias, Murenianam libellumque de Catone compositum aliosque fontes adhibuisse, alter quod persaepe obiter disputavit atque quae ipsi aliisque imprimis Lago statuenda videbantur, significacit potius quam certis argumentis confirmavit gravioresque locos reliquit tractandos, operae pretium videtur esse, quid de hac re statuendum sit, denuo diligentiusque inquirere.

Ciceronem, quoniam cum ceteris rebus in consulatu suo bene gestis, tum vero coniuratione Catilinaria oppressa de re publica Romana optime meritus est, sane dignum esse, qui summis laudibus efferatur, inter omnes satis constat. Suo igitur iure se consulem ‚curiam caede, urbem incendiis, Italiam bello liberasse‘ gloriatus est.

Sed propterea multis odiosum se reddebat, quod ipse suum nomen et scriptis et orationibus nimis celebrare solebat; atque hoc recte reprehendisse nescio quis veterum videtur his verbis ‚non sine causa, sed sine fine‘ Ciceronem laudasse consulatum suum. Eundem Ciceronis morem Plutarchus vituperat in cap. XXIV, ubi postquam praecedentibus capitibus eximia laude eum exornavit, alium fontem secutus nonnihil ei crimini dat, ita ut ex eodem ore calidum et frigidum proferre videatur: dicit enim Ciceronem et in senatu et in contione iudicioque de Catilina Lentuloque perpetuo loqui solitum etiam libros suos et commentarios huiusmodi laudibus replevisse orationemque suam auditoribus hac re molestam reddidisse. Quod quidem negari nequit. Longum est omnia eius scripta commemorare, in quibus occasione data de consulatu suo sive paucis sive pluribus ornatius exponere non omisit: de iis tantum agitur, quibus ipse totam rerum in consulatu suo gestarum memoriam contineri posteritatique tradi voluit.

Atque iam brevi post coniurationem Catilinariam oppressam Ciceroni in animo erat res suas litteris mandare, quod quidem significare mihi videtur locus, qui exstat in oratione pro Sulla habita (in § 26): ‚Si mihi ne ad ea quidem, quae pro salute omnium gessi, recordanda et cogitanda quicquam relinquitur

temporis'. Ex eadem oratione (§ 67) Ciceronis epistulam, quam de rebus in consulatu suo gestis et de summa rei publicae ad Cn. Pompeium in Asiam miserat, alios quoque cognitam habuisse apparet[3]).

Neque multo post Ciceronem de iisdem rebus commentarium et Graece et Latine composuisse atque poema tripartitum condidisse ex epistula ad Atticum (I, 19, 10) missa patet. Ne multa de commentario Latino exponam, qui hoc solo loco commemoratur, neve de illo poemate, cuius versiculos multum adiuvisse rerum scriptores minime dixeris: de commentario Graeco fusius disserere opus est. Atque primum est explicandum, qualis fuerit hic commentarius, quo tempore compositus sit, quid continuerit.

Qua in re proficiscamur oportet ex illa epistula, quae Idibus Martiis anni a. Chr. n. LX ad Atticum data est; unde Ciceronem circiter hoc tempus vel paulo ante hunc commentarium composuisse intellegitur, quoniam qua fuit sedulitate et celeritate[4]) in libris conficiendis non video, cur eum multum temporis in hoc libro scribendo consumpsisse putemus. Atque ipse profitetur se summam operam navasse, ut liber suus speciem atque colorem Atticae urbanitatis prae se ferret: se enim non solum barbara et soloeca quam maxime vitasse (cfr. ad Att. I, 19, 10), sed etiam totum Isocratis myrothecium atque omnes eius discipulorum arculas ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta adhibuisse (ad Att. II, 1, 1), ut huic Graeco Graecum invidere putaret (ib. I, 20, 6)[5]). Nunc

[3]) Quam epistulam ,non mediocrem, sed ad instar voluminis' scriptam esse adnotat interpres quidam vetus ad § 85 orat. pro Plancio hab.

[4]) cfr. ad Att. XIII, 26, 2; ad Quint. fr. II, 14, 1.

[5]) Errare mihi videtur Weizsaeckerus, qui l. c. p. 417 dicit: ,An seinen Bruder schreibt Cicero (II,15,5) Cäsar behaupte, er habe sogar von Griechen noch nichts besseres gelesen (als das griech. ὑπόμνημα des Cic.)', cum hoc loco (apud Orell. ad Q. fr. II, 16, 5) Ciceronis poema de temporibus suis compositum, minime vero hunc commentarium significari manifestum sit. In hunc errorem eum incidisse suspicor, quia Ciceronis fragmentorum collectione a Baitero instituta (cfr. ed. tom. XI, p. 131) usus diligentia curaque non adhibita pravissime hoc fragmentum ex epistula ad Q. fr. repetitum ad commentarium rettulit. Namque Baiterus, quia cum Leutschio aliisque poema de consulatu et de temporibus pro uno eodemque falso habet, hoc fragmentum testimoniis de commentario Graeco adiunxit.

breviter exponam, quo modo Cicero res suas descripserit. Quamquam se in hoc libello non ‚ἐγκωμιαστικά, sed ἱστορικά' scripsisse affirmat[6]), tamen non dubitandum esse omnes concedent, quin quoniam sui laudandi cupiditate semper ardebat, res ita exornaverit, ut ipsius in totam rem publicam merita dilucidissime apparerent. Hoc non contenderim historiae leges eum plane neglexisse, sed id egisse quam maxime arbitror, ut res a se consule laudabiliter gestae praeter ceteras uberrime ornatissimeque illustrarentur et celebrarentur, quae autem ad hominum obtrectationem et invidiam conflandam idoneae essent, aut prorsus omitterentur aut pressius angustiusque attingerentur. Hac igitur ratione non modo se suasque res legentium animis gloriaeque sempiternae commendare voluit, sed etiam invidiae respondere et se adversus ea, quae tum ab adversariis obiciebantur, defendere. Quare ex Attico (cfr. ad Att. II, 1, 2) flagitavit, ut curaret, ut ille commentarius et Athenis esset et in ceteris Graeciae urbibus, cum ipsius rebus aliquid lucis afferre videretur.

Restat ut quas praecipue res et quo ordine rettulerit dicam. Vel ex eo, quod hunc libellum inscribi voluit commentarium consulatus sui, eas res tantum commemorasse Ciceronem apparet, quas consul anno LXIII a. Chr. gesserat, materiem sane facultate et copia Ciceronis maxime dignam. Atque cum permultis locis, qui adhuc exstant, earundem rerum ab ipso Cicerone mentio fiat, tum vel maxime ex orationis in Pisonem habitae paragraphis II—VII, ubi consulatum suum breviter exposuit, et ex epistula ad Atticum (II, 1, 3) scripta, ubi omnes consulares orationes enumeravit, perspici potest, quo quaeque ordine gesserit illo anno dixeritque. Quas res in commentario suo simillime et descripsisse et ordinasse putandus est; nisi quod quae illic strictim memoravit, hic multo maiore cultu ornatuque amplificavit. Atque ut Cicero haec planius explicaret, altius paulo repeteret necesse erat. Exponendum igitur ei erat, qui rei publicae status, cum ipse consul crearetur, esset quaeque novarum rerum causae, quibus illo tempore studebant, quam denique rationem ipse sequeretur, ut rem publicam afflictam recrearet. Itaque Ciceronem conversionis civitatis a Sulla factae obiter mentionem fecisse ego quidem

[6]) cfr. ad Att. I, 19, 10.

puto, quoniam tum temporis eam ut tuerentur optimates maxime egerunt populares autem ut everterent, summam operam dederunt[7]). Quam expositionem etiam hanc ob causam fuisse necessariam mihi persuasi, quod Cicero commentarium suum cum Romanis, tum vero Graecis, qui harum rerum imperitiores erant, legendum proponere voluit. Talem igitur, qualem animo finximus, libri exordii imaginem apparet fuisse, extremo autem loco celeberrimum illud iusiurandum, quod ultimo consulatus die iuravit, eum posuisse certum est[8]); quo nihil ad legentium animos commovendos ipsumque eximia laude ornandum gravius fuit vehementiusve.

Hunc igitur commentarium a Plutarcho in vitae Ciceronis capitibus X—XXIII conscribendis principalem et unum fontem adhibitum esse censemus. Quod quidem cum totum librum perisse magnopere dolendum sit, certis firmisque argumentis probare difficillimum esse quicumque in hac fontium indagandorum parte versati sunt, facile concedent. Verum tamen, si summa cura diligentiaque in hac re investiganda adhibebitur neque omnium rerum vel minutissimarum consideratio omittetur, fieri posse confido, ut omnes difficultates superentur. Atque ita res mihi instituenda videtur, ut quae Plutarchus in vita Ciceronis a capite X usque ad caput XXIII litteris mandavit, diligentissime perlustremus et cum eis conferamus, quae in illo Ciceronis libro scripta fuisse verisimillimum est. Qua in re etsi ille commentarius interiit, tamen a spe eius vestigia indagandi non prorsus destituti sumus. Nam permultis locis, ut iam supra diximus, Ciceronem de iisdem rebus disserentem cum Plutarcho conferre licet; quamquam de coniuratione Catilinaria ceterisque consulatus sui rebus illum in commentario similiter atque in aliis scriptis exposuisse patet, tamen nobis cavendum est, ne quo tempore, qua occasione, quo loco, quo modo Cicero ea protulerit neglegamus, quoniam eum aliter ad populum, aliter in senatu dixisse atque de nonnullis rebus et quibusdam viris alio tempore aliter iudicasse in promptu est. Itaque hoc, ut paucis comprehendam, vel maxime nos spectare necesse est, ne quid proferamus, quod ab ea condicione, qua Cicero anno a. Chr. n. LX fuerit,

---

[7]) Weizsaeckerus l. c. p. 418, adn. 1 aliam sententiam pronuntiat.

[8]) cfr. Weiszaecker. l. c. p. 419.

abhorreat. Cum igitur utriusque scriptoris comparationis quasi fundamenta iecerimus, quidquid superstruxerimus minime corruet.

Demonstremus nunc Plutarchi narrationem cum Cicerone plane congruere.

Atque prima capitis X verba ,Ἐπὶ δὲ τὴν ὑπατείαν οὐχ ἧττον ὑπὸ τῶν ἀριστοκρατικῶν ἢ τῶν πολλῶν προήχθη διὰ τὴν πόλιν ἐξ αἰτίας αὐτῷ τοιαύτης συναγωνισαμένων' haud dubie e Cicerone fluxerunt, quem non minus optimates favisse ipsius petitioni quam populares se iactare solitum esse hi loci testantur: (in Vatin. § 6) ,Ac tamen hoc, Vatini, memento — me cum universi populi Romani summa voluntate, tum optimi cuiusque singulari studio magnificentissime post hominum memoriam consulem — factum esse' et (in Pison. § 3): ,Me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas non prius tabella quam voce priorem consulem declaravit'. Deinde Plutarchus paulo altius repetens causas coniurationis Catilinariae explicat: exstitisse enim, qui statum rerum a Sulla constitutum concutere et sui commodi causa mutare conarentur, praesertim cum Pompeius tum temporis in Armenia et Ponto contra reges bellum gereret neque ullus Romae exercitus ad illos homines rerum novarum cupidos coercendos adesset.

Ne haec Ciceronis auctoritate prorsus aliena esse temere opineris, quod ipse in rerum commutationem a Sulla factam, imprimis in ,illas praeclaras leges Cornelias iudiciarias' vehementissime invectus est[9]). Nam Ciceronem satis constat primum quidem a partibus Marii stetisse causamque popularium contra nobiles adeo suscepisse, ut brevi ante consulatum et legem Maniliam, quam senatus indignissime aegerrimeque tulit, vel maxime comprobaret populoque commendaret, et C. Cornelium, quo nemo magis omnium optimatium odium in se converterat, fortissime adiuvaret splendidissimeque defenderet. Sed simulatque ad consulatum provectus est, aliam in re publica gubernanda rationem secutus id enixe studuit, ut senatus auctoritatem, quam antea ne imminueret non veritus est, sustineret contra popularium impetus atque defenderet; quod quidem cum omnia, quaecunque in consulatu suo egit,

---

[9]) cfr. in Verr. act. II. libr. II, § 77 extr.; divin. in Caec. § 7—9; in Verr. I, 35—36, 43—45; II libr. III, 81. 82.

probent, tum vel ipse se nihil nisi ex illius ordinis consilio, auctoritate, sententia constituisse atque gessisse testatur[10]). Atque iam Kal. Ianuariis, cum ad rem publicam administrandam accessisset, quid de summa rei publicae sentiret, coram senatu patefecit: ,Quod si vos, inquit, vestrum mihi studium, patres conscripti, ad communem dignitatem defendendam profitemini, perficiam perfecto id, quod maxime res publica desiderat, ut huius ordinis auctoritas, quae apud maiores nostros fuit, eadem nunc intervallo rei publicae restituta esse videatur' (cfr. de leg. agr. 1, 27 extr.). Quae cum ita essent, Ciceronem inde ab consulatus sui initio de rerum statu a Sulla facto, quippe quem ut conservaret senatus maxime egit, aliter atque antea iudicasse manifestum est; cuius sententiae commutatae multi eius loci, qui hodie adhuc exstant, testes sunt[11]). Haec igitur si tecum reputaveris, Plutarchi narrationem optime in Ciceronis sententiam quadrare concedes; nam initio quidem ille Sullanam rei publicae commutationem verbo ,ἀτόπου' paululum vituperans, paulo post, ut huius verbi vim leniret, adiecit: illum rerum statum successu temporis et consuetudine tam bene confirmatum esse, ut nisi cum totius civitatis periculo everti non posset.

Quae deinceps Plutarchus de Pompeio tradidit, ex eodem fonte videntur fluxisse; quoniam quam ornate et honorifice Cicero illum semper commemoraverit, satis notum est. Quamquam Pompeius ex Asia reversus primum quidem Ciceronis gloriae invidere videbatur, tamen brevi post in gratiam cum eo rediit. Itaque Cicero non multo antequam commentarium suum composuit ad Atticum (I, 17, 10) scripsit: ,utor Pompeio familiarissime' et in ea epistula, qua amico se illum librum perfecisse nuntiat: ,eum, qui nimium diu de rebus nostris tacuerat, Pompeium, adduxi in eam voluntatem, ut in senatu non semel, sed saepe multisque verbis huius mihi salutem imperii atque orbis terrarum adiudicarit' et paulo post: ,cum hoc ego me tanta familiaritate coniunxi, ut uterque nostrum

[10]) cfr. ad Att. I, 18. 3; Phil. 2, 11; ad fam. I, 9, 12; in Pis. 7.

[11]) cfr. de dom. § 79; Phil. 8, 7; Brut. § 227. 311; de off. 2, 27 (honesta causa); ad Att. XI, 21, 3 (a. XLVII a. Chr. n. data): ,Sullana confers, in quibus omnia genere ipso praeclarissima fuerunt, moderatione paulo minus temperata.

in sua ratione munitior et in re publica firmior hac coniunctione esse possit'. Itaque Ciceronem etiam in commentario suo eum aeque atque in Catilinariis suis exornasse et quasi participem fecisse laudis oppressae coniurationis verisimillimum est. Neque aliter Plutarchus et hoc loco et in cap. XIV et c. XVIII Pompei mentionem fecit; certo enim his verbis significatur, homines illos turbulentos et seditiosos, si Pompeius, tutor urbis, adfuisset, rem publicam vexare non ausuros fuisse.

Quae subsequuntur de Catilinae moribus ad eandem auctoritatem referenda esse puto. Namque Ciceronem non modo corruptos Catilinae mores pravumque ingenium pluribus descripsisse, sed etiam omnia scelera flagitiaque accurate in commentario suo enumerasse facile concedet, qui quanta acerbitate, quanta vehementia eum semper increpitaverit, ex quattuor orationibus in illum habitis noverit. Quo accedunt reliquiae orationis in toga candida habitae et Caeliana oratio, quamquam hic paulo parcius molliusque Catilinam vituperavit, ne Caelii causae nimis noceret. Quam rem utinam Plutarchus uberius tractasset! nam tanta brevitate attigit, ut eius verba cum copia testimoniorum ex Cicerone petitorum comparare difficile sit. Quod quidem Plutarchus primo loco posuit Catilinam fuisse audacem hominem, etiam a Cicerone ubique ante omnia dicitur[12]). Neque desunt, quae Catilinam magnarum rerum appetentem et varium ingenio a Cicerone descriptum esse ostendant. Nonne ad illud referendum videtur, quod Cicero persaepe pronuntiat, Catilinam consulatum petiisse et in animo habuisse conversione rei publicae facta rerum potiri? hoc in Caeliana respicit (§ 13. 14), cum eum tam ,varia multiplicique natura' fuisse pluribus explicet, ut ,versare suam naturam' et regere ad tempus atque huc et illuc torquere ac flectere' posset. Plutarchus deinde, quae flagitia sceleraque Catilina admisit, singula non enumeravit, sed ea tantum memoravit, quae taeterrima maximeque nefaria videbantur. Atque Catilinam cum filia concubuisse etiam a Cicerone significatur (in or. in tog. cand. p. 93) his verbis: ,cum ex eodem

---

[12]) cfr. Cat. I, 1: quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? Cat. 3, 16. 17; pro Mur. 17. Or. 129: Catilina homo audacissimus a nobis in senatu accusatus obmutuit.

stupro tibi et uxorem et filiam invenisti'; e quibus apparet Catilinam eam duxisse uxorem, quae ipsius filia ex stupro nata dicebatur, ideoque incestum maxime nefandum commisisse[13]). Solus autem Plutarchus, quantum scio, fratrem a Catilina occisum esse testatur. Quamquam nullus Ciceronis locus superest, quo eum idem narrasse affirmare possimus, tamen hoc quoque Ciceronem illi obiecisse suspicor. Nam paulo accuratius quam in orationibus[14]) illi uniuscuiusque opprobrii turpitudinem in commentario Graeco crimini dedisse putandus est[15]). Neque ex Ciceronis et Asconii silentio in oratione in toga candida habita multum effici posse contendo, ut pote quae lacunarum plena sit[16]).

---

[13]) Drumannus, qui Catilinam cum nulla alia filia nisi cum privigna a superiore marito Orestillae orta stuprum facere potuisse opinatur, videtur errasse (cfr. Gesch. Roms etc. V, 388, 73). Sententia enim doctissimi illius viri cum Asconii verbis ad h. l. app. pugnat. Nam si re vera Cicero illam Orestillam eiusque filiam l. c. significasset, Asconius non addidisset: ‚nomina harum mulierum nondum inveni'. Immo vero ex Ciceronis loco et Asconii interpretatione cum Sallustii c. XV collatis statuendam est Catilinam tres habuisse uxores, quarum prima filium peperit, altera ipsius filia fuit, quam ex stupro nescio quo genuerat, tertia Orestilla, cuius mores Sallustius pluribus descripsit.

[14]) cfr. pro Sull. 70; Cat. 1, 18; 2, 7; 3, 16. 17; or. in tog. cand. p. 86.

[15]) Etiam fieri potuit, ut Plutarchus in errorem haud magnum inductus hoc loco Catilinae fratrem commemoraret pro Q. Caecilio, sororis Catilinae viro, quem Asc. l. c. p. 84, Q. Cic. de pet. consul. § 9 non omiserunt.

[16]) Idem Plutarchus in vit. Sull. c. XXXII de Catilinae crudelitate in fratrem iisdem fere verbis exposuit, sed ne inde quidem concludi potest, quem auctorem ille secutus sit. Peterus enim (cfr. Die Quellen Pl. in den Biographien der Römer p. 132. 60. 61), qui verisimillimum putat Plutarchum non modo in coniuratione Catilinaria conscribenda, sed etiam ad Sullae commentarium supplendum Livium adhibuisse, hunc locum falso ad Livii auctoritatem rettulit. Namque illis Plutarchus eodem loco adiungit atque adnectit, quam graviter Catilina in Marium Gratidiamum saevierit, quae quidem res ab aliis quoque scriptoribus litteris mandata est. Apud Livium enim (per. 88) eiusque asseclas (Valer. Max. IX, 2, 1; Flor. II, 9, 6; Oros. V, 21) Catilinae nulla mentio fit, sed illud facinus Sullae crimini habetur, qui ipse Marium ‚per ora vulgi ad sepulcrum

Veniamus nunc ad illud iusiurandum, quo coniurati sese obstrinxerunt. Ne hoc quidem in Ciceronis libris, qui supersunt, invenitur[17]); verum tamen non dubium est, quin Plutarchus hoc ex commentario Graeco transtulerit, quippe cum Cicero, quoniam propter internecionem civium Romanorum in odio multorum erat, nihil antiquius haberet quam ut nimis augeret quidquid coniurati nefarie impieque fecerant. Neque tamen diiudicare audeo, utrum Cicero haec pro certo et explorato habuerit atque exposuerit, an famam dissipatam esse tradiderit illos ad tantam amentiam processisse, ut summum nefas admitterent; id quod Plutarchus, quasi constaret, narrationi suae immiscuit. Atque tales rumores tum dispersos esse Sallustii testimonio confirmatur, qui (c. 22, 3) ‚haec et multa praeterea ad invidiam in Ciceronem postea ortam leniendam ficta esse ab nonnullis credi' affirmat. Iam vero ipsa Ciceronis verba cum Plutarcho comparare possumus. Namque quae hic pressius dicit, quomodo Catilina magnam iuventutis urbanae partem corruperit, ille verbosius exposuit: ‚Quae tanta unquam in ullo homine iuventutis inlecebra fuit quanta in illo? qui alios amabat ipse turpissime, aliorum amori flagitiosissime serviebat, aliis fructum libidinum, aliis mortem parentum non modo impellendo, verum etiam adiuvando pollicebatur' (Cat. 2, 8); quibus adde ex Caeliana: ‚Quamquam multi boni adulescentes illi homini nequam atque improbo studuerunt' (§ 10); ‚erant apud illum inlecebrae libidinum multae' (§ 12); ‚quis in largitione effusior? illa vero, iudices, in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare, quod habebat, servire temporibus suorum omnium pecunia, gratia,

---

Lutatiae gentis pertractum singulis membris fractis, oculis effossis, vita privavit'. A quibus longe recedunt Cicero (in tog. cand. p. 84) Asconius (eodem loco) Plutarchus, qui Catilinam Marii caput abcisum per urbem ad Sullam (a Ianiculo usque ad aedem Apollinis) sua manu tulisse consentiunt. Quam ob rem Plutarchum quamvis ex ipso Cicerone hanc narratiunculam sumpsisse comprobari minime dixerim, tamen ex Livio eam deprompsisse omnino non concedendum est.

17) Nisi huc referenda sunt Cic. verba (Cat. 1, 16): ‚quae quidem (scl. sica) quibus abs te initiata sacris ac devota sit nescio, quod eam necesse putas in consulis corpore defigere'.

labore corporis, scelere etiam si opus esset, et audacia'. Itaque cum causa non sit, cur Ciceronem in commentario Graeco aliter atque his locis de hac re exposuisse putemus, praeterquam quod in Caeliana paulo fusius molliusque eam tractavit, Plutarchus, qui a Cicerone non recedit, eius auctoritatem amplexus est.

Quae deinceps sequuntur cum de tota Etruria ad seditionem prona atque de plerisque Galliae Cisalpinae partibus, tum vero de urbis plebe novarum rerum studiosa item Ciceronis ingenium spirant; qui ut periculum patriae impendens et bellum intestinum ac domesticum, quod, ut ipse ait, post hominum memoriam crudelissimum et maximum fuit, ornatius depingeret et in maius extolleret, quo facilius sua in patriam merita cognoscerentur, haec pluribus descripsisse et in eundem fere modum exornasse putandus est atque in Catil. 4, 6, ubi superlatione quadam usus: ,latius opinione, inquit, disseminatum est hoc malum: manavit non solum per Italiam, verum etiam transcendit Alpes et obscure serpens multas iam provincias occupavit.' Atque saepissime mentionem facit Cicero Etruriae, cuius plebem dolore Sullanae iniuriae excitatam Manlius sollicitabat, cuius in faucibus fuerunt illa castra contra populum Romanum collocata (cfr. Cat. 1, 5). Et ne Galliae quidem magnam partem hac suspicione caruisse, idem affirmat (cfr. pro Sull. § 53; Cat. 2, 5. 6; pro Sest. 9). Quam ob rem Cicero ,hoc prospiciens' Q. Metellum in agrum Gallicum Picenumque praemisit (cfr. Cat. 2, 26). Imprimis autem Romae condicio tum propter bonorum inaequalitatem rerum mutationi peropportuna fuit, quia cum multi iique nobilissimi rem familiarem spectaculis epulis ambitu aedificandoque comminuissent, divitiae ad homines ignobiles humilesque defluxerunt, ut res publica per se aegra parvo momento a quovis, cui foret animus, everti posse videretur. Nam illi cum non solum opes, quas profuderant, recuperare, sed etiam honores consequi studerent, quocunque modo fieri potuit, nequissimo cuique se ad rem publicam vexandam adiungere non dubitaverunt. De quibus Cicero (Cat. 2, 19) in hunc modum disseruit: ,Alterum genus est eorum, qui quamquam premuntur aere alieno, dominationem tamen exspectant, rerum potiri volunt, honores, quos quieta re publica desperant, perturbata consequi se posse arbitrantur'. Quam miser rei publicae status illo tempore

fuerit, vel ex orationis II de lege agraria habitae § VIII intellegitur: ‚Ego qualem Kal. Ianuariis acceperim rem publicam, Quirites, intellego: plenam sollicitudinis, plenam timoris; in qua nihil erat mali, nihil adversi, quod non boni metuerent, improbi exspectarent: omnia turbulenta consilia contra hunc rei publicae statum et contra vestrum otium partim iniri, partim nobis consulibus designatis inita esse dicebantur; sublata erat de foro fides, non ictu aliquo novae calamitatis, sed suspicione ac * [perturbatione iudiciorum, informatione rerum iudicatarum] novae dominationes, extraordinaria non imperia, sed regna quaeri putabantur'. Ac ne extrema quidem Plutarchei c. X verba a Cicerone abhorrent, qui in litteris a. d. XI Kal. Februarias anni LX datis, i. e. eo ipso tempore, quo commentarium Graecum composuit, ad Atticum (I, 18, 2) scripsit: ‚Nam ut ea breviter, quae post tuum discessum acta sunt, colligam, iam exclames necesse est, res Romanas diutius stare non posse'. — ‚Adductus sum spe rei publicae corrigendae et sanandae civitatis'. Quo loco Cicero eadem translatione usus atque Plutarchus rem publicam quasi morbo affectam medicina sanandam esse dicit.

Atque c. XI redit Plutarchus eo, unde digressus erat: Ciceroni enim, quia plerique boni Catilinam consulatam petere et magnopere sperare se Antonium habiturum esse collegam praesenserant, cum optimates tum multitudinem suffragatam esse ad consulatum. Neque dubium est, quin haec quoque ex ipsius Ciceronis libro Plutarchus deprompserit. Nam ille certe silentio non transiit nobiles initio quidem ipsius petitioni invidisse, quippe qui homo novus esset et insuper usque ad illud tempus ad populi causam defendendam Pompeique gloriam augendam omne studium contulisset, sed cum summa pericula rei publicae imminere viderentur, ipsum unum e competitoribus fortissimum dignissimumque existimavisse, qui homines improbissimos coërceret et pestem de patria depelleret. Hac igitur ratione effecit, ut quod primo obtutu minus gloriosum videbatur, non modo nihil turpitudinis, sed etiam plurimum laudis et dignitatis haberet. Atque quam saepe et magnifice Cicero de se praedicaverit ab universo populo se esse consulem creatum, iam supra demonstravimns; restat, ut nonnulla loca afferamus, quibus ipse testatur se solum competitorum hominem novum equestri loco natum summam esse

adeptum dignitatem [18]). Itaque Plutarchum haec, quoniam cum Ciceronе optime congruunt, ex illo hausisse in promptu est.

Quae in hoc capite de Antonii moribus traduntur, postea tractabimus.

Videamus nunc caput XII, cuius prima verba: ,καὶ τὰ μὲν περὶ Κατιλίναν ἔμελλε ἔτι τοὺς πολλοὺς λανθάνοντα, προάγωνες δὲ μεγάλοι τὴν Κικέρωνος ὑπατείαν ἐξεδέξαντο' certe ad Ciceronis auctoritatem referenda sunt. Quae enim ante coniurationem Catilinariam cum a proscriptorum filiis, tum a tribunis pl. contra rei publicae salutem senatusque auctoritatem agitabantur, praelusiones quasi et praecursiones celeberrimae illius pugnae appellantur. Neque alium novi nisi Ciceronem, qui has res ita inter se conexuerit, ut cohaererent et alia aliam exciperet usque ad maximum acerrimumque certamen.

Atque quae a Plutarcho de proscriptorum filiis exponuntur, si quomodo Cicero de Sullana rei publicae conversione disputaverit, memineris, plane cum eius more congruere concedes. Sed exstant loci, quibus nos recte iudicasse confirmatur. Breviter enim Cicero in or. in Pison. hab. § 4 quam sententiam de iis habuerit in iudicioque dixerit, pronuntiat: ,Ego adulescentis bonos et fortis, sed usos ea condicione fortunae, ut si essent magistratus adepti rei publicae statum convolsuri viderentur, meis inimicitiis, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione privavi'. Etiam Quintilianus (XI, 1, 85 ed. Halm.) testatur Ciceronem in oratione, quam contra prosciptorum filios habuit, confessum quidem durum esse et crudele homines honestis parentibus ac maioribus natos a re publica summoveri, sed ita legibus Sullae cohaerere statum civitatis affirmasse, ut iis solutis stare ipsa non posset'. Itaque si quis de artiore inter Ciceronem Plutarchumque affinitate dubitaret, nodum quaereret in scirpo. Parvi vero aestimandum est, quod Plutarchus in hac re ceteris adiungenda alium ordinem atque Cicero secutus est. Nam etiamsi hunc quinta demum oratione consulari contra eos dixisse ex epistula ad Atticum (II, 1, 3) et ex oratione in Pisonem (§ 4) apparet, tamen fieri potuit, ut ipse Cicero ordine mutato priusquam

[18]) cfr. de leg. agr. 2, 3. pro Mur. § 17 (adde Asc. ad or. in t. c. p. 82).

tribunorum seditiosa consilia explicaret, haec in commentario Graeco absolveret ideoque rem tractatu difficillimam, quoniam quam iniqua esset, manifestum erat, relinquens ad maiora properaret, quae ornatiori descriptioni videbantur aptiora. Namque tribuni pl. in re publica eandem rationem secuti (*πρὸς τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν*) lege agraria lata senatum vexabant atque totius rei publicae statum labefactabant. De quibus quaecunque Plutarchus memoriae prodidit, eidem fonti debuit. Nam cum hic etiam hanc legem futurae rei publicae perturbationis a Catilina factae praenuntiam fuisse putet, minime a Cicerone discrepat, qui idem sensit (cfr. de leg. agr. 1, 22. 26; 2, 8); ubi cum contra illum civitatis statum et contra otium omnium iam diu inita esse improborum civium consilia diceret, qui multo magis quam Rullus ceterique tribuni timendi essent, Catilinam eiusque satellites ab eo significatos esse verisimillimum est. Quae Cicero in commentario suo eodem modo narrasse existimandus est, ita ut Catilinae perniciosa consilia plerosque quidem latuisse scriberet, ipsum autem cum omnes res consulatus sui turbulentas per unum illum pestem rei publicae molientem factas esse intellexisset, id consilium civitatis gubernandae administrandaeque secutum esse, ut non modo bonos cives ab illo averteret, sed etiam tribunos plebis [19]) atque Antonium collegam sibi et rei publicae conciliaret. Haec igitur ratio, qua Ciceronem ea exposuisse putemus necesse est, a Plutarcho minime aliena est. Ac ne longus sim, ex orationibus in Rullum habitis, ubi eadem multo quidem copiosius et verbosius, sed similibus verbis dicta sunt, ipsius Ciceronis de lege agraria verba, quae ad Plutarchi narrationem proxime accedunt, me adscribere non necessarium esse censeo. Neque enim quidquam Plutarchus de hac re litteris mandat, quod non apud Ciceronem inveniatur. Quam acriter et vehementer consul huic rogationi restiterit, Plutarchus similiter atque ipse Cicero explicat (cfr. cap. XII extr.). Namque Cicero ipse, quomodo hanc rem apud populum susceperit, his verbis significat (cfr. de l. agr. 2, 101): ‚Ego is consul, qui contionem metuam, qui tribunos pl. pertimescam?‘ idemque paulo post his verbis: ‚Quis enim unquam tam secunda contione legem agrariam suasit, quam ego dissuasi?‘ se mul-

[19]) cfr. de l. agr. 1, 26: deserite eos, conspirate nobiscum et q. s.

titudine approbante atque assentiente dixisse affirmat. Ac ne hoc quidem a Cicerone recedit, quod a Plutarcho duae orationes in Rullum dictae omittuntur, quoniam Cicero ipse duas tantum priores reliquis neglectis inter ceteras consulares orationes enumerat (cfr. ad Att. II, 1. 3). Quae cum ita sint, Plutarchum ad haec describenda ipsum Ciceronem adiisse patet.

Atque hanc ob rem a consule splendidissime fortissimeque gestam non modo alii (cfr. Plin. VII, 30 ed. Ianus) Ciceronem vehementer admirati sunt, sed etiam Plutarchus magna eius admiratione imbutus facere non potuit, quin quanta vis dicendi et suavitas atque eloquentia in illo fuerit, pronuntiaret. Quod quidem ut alio exemplo comprobaret, Ciceronem seditionem, quae propter Roscii legem inter equites et plebem in theatro facta erat, orationis dulcedine sedasse addit (cfr. cap. XIII). Atque hac in re commemoranda a Plutarcho nonnulla falso narrata esse iam veteres interpretes adnotaverunt. Namque apud eum Roscius Otho male praetor (*στρατηγῶν*) appellatur, quem tribunum pl. illam legem tulisse constat, neque recte Marcus vocatur, cum eum dici Lucium ab omnibus, qui de eadem re tradiderunt[20]), videamus. Sed multo maioris momenti haec sunt. Scimus enim ex Asconii et Livii testimoniis L. Roscium Othonem in tribunatu suo sub exitum anni a. Chr. n. LXVII legem tulisse, ut equitibus Romanis in theatro quattuordecim ordines spectandi gratia darentur. Plutarchus vero cum his vehementer pugnans Othonem tradit cum equites honoris causa ab aliis civibus separasset, plebis odium irritasse, ut ubi in theatrum venisset, sibilis exciperetur, cum equites plausu et clamore Othoni assentirentur; atque confusionem magnam hanc ob rem in theatro factam a Cicerone compositam esse. Es his igitur apparet Plutarchum non satis accurate discrevisse inter legem anno LXVII latam atque odium plebis anno demum LXIII in Othonem excitatum, sed omnia Cicerone consule facta esse opinatum[21]). Ego quidem tantum

[20]) cfr. Cic. pro Mur. § 40; Liv. per. 99; Ascon. p. 79.

[21]) Non recte Drumannus l. c. V, 435, 78 dicit; ‚Pl. erzählt als sei die Rede 67 gehalten'. Nam contrarium e Plut. effici potest, qui quae a. LXVII acta sunt, in annum LXIII differt: *δεῖγμα δ' αὐτοῦ τῆς περὶ τὸν λόγον χάριτος καὶ τὸ περὶ τὰς θέας ἐν τῇ ὑπατείᾳ γενόμενον.*

abest, ut Plutarchum errorem historicum commisisse negem, ut ex hoc errore effici posse contendam, quo ex fonte haec hausta sint. Namque Cicero hanc rem ita tractasse putandus est, ut iis praecipue, quae de huius legis auctore suo anno (LXIII) gesta essent, ornatius descriptis aut prorsus non aut breviter tantum commemoraret illam legem theatralem iam quadriennio ante promulgatam esse. Itaque fieri potuit, ut Plutarchus, quoniam ei nihil illustrare in animo erat nisi res, quibus Ciceronis ingenium celebrabatur, in istam opinionem induceretur etiam latam esse hanc legem Cicerone consule. Quod deinde Othonem audivisse Marcum narrat, id quidem leve est et vel ipsi, vel librario neglegenti tribuendum. Sed nihil, quod sciam, impedit, quominus Othonem, cum anno LXVII tribunus pl. esset, Cicerone consule praetorem fuisse a Plutarcho recte tradi credamus; id quod neminem vidisse vehementer miror. Quamquam Cicero in eo, quem supra diximus catalogo rerum in consulatu suo gestarum (cfr. in Pis. 3—7) nullam huius rei mentionem facit, tamen inde si eam concluderes etiam in commentario Graeco ab illo omissam aut paucis narratam esse, magnum in errorem incideres. Haec enim praeter ceteras digna videbatur, quae memoraretur, quia Cicero hac oratione non modo quanta vis esset eloquentiae demonstravit, sed etiam effecit, ut equestrem ordinem artiore vinculo cum senatu coniungeret, id quod eum maximae sibi laudi duxisse satis notum est[22]). Itaque Ciceronem in commentario de consulatu suo scripto fusius de hac re disseruisse nos pro certo habere necesse est. Huc accedit, quod ipse se orationem de Othone habitam tanti fecisse affirmat, ut eam inter consulares tertio loco positam ederet (cfr. ad Att. II, 1, 3). Quae cum ita sint, Plutarchum totum caput XIII (exceptis primis eius verbis ‚μάλιστα γὰρ — συμφέροντος‘, quae ipse, ut assolet, de suo addidit, ut legentium animos ad Ciceronis morem imitandum adverteret), ex eodem fonte atque capita X. XI. XII sumpsisse apparet.

Nunc illud, quod paene praeterii, non omnino relinquendum videtur Plutarchi narrationem de Antonio (cc. XI. XII) cum ipsius Ciceronis de collega sententia plane congruere. Namque Antonium ait Plutarchus neque ad salutem publicam,

[22]) cfr. Cat. 4, 15; ad Att. I, 17,10; in Pis. 7; Phil. 2, 19.

neque ad perniciem idoneum auctorem principemque fuisse, sed eum quem ducem nanctus esset, facile secutum esse veluti secundarium quendam histrionem ac mercenarium; quem initio quidem Ciceroni collegae inimicum non modo legi agrariae favisse sperantem se unum ex decemviris futurum, sed etiam propter aeris alieni magnitudinem Catilinae consilia non moleste ferre visum esse. Ciceronem autem, cum illum primum omnium sibi devinciendum esse existimasset, provinciam ei Macedoniam concessisse; quo officio illum ita obstrictum esse, ut in summa re publica nihil Cicerone invito ageret. Quin postea, cum bellum a coniuratis immineret, Ciceronem sine ulla dubitatione eum contra Catilinam immisisse (cfr. c. 16 extr.). Neque quisquam invenitur alius, qui in eundem modum ac Plutarchus mores Antonii descripserit nisi Cicero. Etenim hic occasione de Antonio disserendi data leniter et caute facere solebat, etiamsi magnam habuit suspicionem collegam cum Catilina conspiravisse. Atque quaerere omittamus, num Drumannus (l. c. V, 428) recte suspicatus sit in illa provinciae pactione cautum fuisse, ut pecunia solveretur Ciceroni: hoc satis constat hunc semper religione quadam (cfr. pro Sest. 8) impeditum esse, quominus collegam aperte vituperaret; quid? quod Antonium, ut ipse in epistula anno LXII data (ad Fam. V, 6, 3) scripsit, ‚in senatu gravissime ac diligentissime defendit' et causam eiusdem a Caelio accusati tribus annis post iterum suscepit (cfr. de dom. 41). Vel inde intellegitur Antonii morum descriptionem, qualem apud Plutarchum legimus, profectam esse a Cicerone, qui et ipse illum non tam malo pravoque ingenio, quam infirmo inconstantique animo fuisse in commentario suo exposuisse putandus est. Et ne illud quidem, quod Antonii animum provinciae pactione sibi conciliavit[23]), diverse a Plutarcho tradit (cfr. in Pis. 5). Atque iam in fine orationis de lege agraria ad populum habitae se cum collega, quem quidam homines rerum novarum cupidos adiuturum esse speraverunt, in gratiam rediisse profitetur[24]). Neque multum interesse

[23]) cfr. Weizsaecker. l. c. p. 424.

[24]) cfr. de leg. agr. 2, 103: ‚Quod ego ea concordia, quam mihi constitui cum collega invitissimis iis hominibus, qui nos (ita scribendum esse puto cum Madvigio) in consulatu inimicissimos fore' — et q. s.

existimo Ciceronem in oratione pro Sestio habita (§ 8 sqq.), quo facilius huius merita in patriam cognoscerentur, de Antonio minus benevole iudicasse. Namque in commentario prorsus aliter exposuisse eum in promptu est, ubi illam victoriam a Catilinariis reportatam aut omisisse aut breviter tractavisse videtur, fortasse in eum modum, quem invenimus in oratione pro Flacco habita (§ 5): ‚Condemnatus est is, qui Catilinam signa patriae inferentem interemit' (cfr. pro Mur. 84). Deinde vel inde, quod Plutarchus Catilinae interitum brevissime attigit, ab eo adhibitum esse Ciceronem elucet, quem copiosissime et accuratissime descripsisse, quae ipse gesserat, paucis absolvisse aliorum res perspicuum est. Denique Plutarchus, quia ei loco, ubi de Macedonia Antonio concessa exposuit, id quod multo post factum esse novimus Galliam provinciam a Cicerone in contione depositam esse, adnexuit, eadem has res conectendi ratione qua Cicero ipse usus est. Haec igitur, quoniam cum Cicerone consentiunt, ex eius commentario Graeco sumpta esse iure ac merito concludere licebit.

Sed priusquam caput XIV, ubi Plutarchus ipsam coniurationem narrare coepit, tractamus, breviter inquiramus oportet, num ex iis rebus a Cicerone anno LXIII gestis, quae ille omisit, aliquid effici possit. Agendum est igitur de Rabirii causa et de lege Tullia de ambitu lata. Ac primum quidem Ciceronem in commentario suo Rabirii defensionem commemoravisse non nego, sed num eam ornatius uberiusque descripserit, valde dubito, quia minime ipsius eloquentia, quantum scimus, ut ille elaberetur, effectum est. Certum vero est ab Cicerone aut nullam aut brevissimam legis Tulliae mentionem in commentario Graeco factam esse, quippe cum Mureniana causa suscepta illud, quod modo lege sanxerat, ipse violavit evertitque. Itaque vel inde apparet Ciceronem fuisse Plutarchi fontem, quoniam quae ille aut omisisse aut brevissime perstrinxisse videtur, hic silentio transiit.

Iam ad ipsam coniurationem Catilinariam properemus (cap. XIV sqq. expositam). Atque Plutarchum supra ostendimus res a Cicerone in consulatu gestas inter se ita cohaerentes fecisse, ut eas, de quibus iam disseruimus, minoris momenti tamquam parvula proelia existimaret, coniurationem vero Catilinariam detectam atque oppressam omnium maximum certamen describeret. Atqui in illis enarrandis Plutarchum

verisimillimum esse nobis persuasimus Ciceronis auctoritate usum esse, unde eum etiam in hac describenda eundem fontem secutum esse colligi licet. Sed singula spectemus.

Coniurati enim, ut ait Plutarchus, initio quidem perterriti, cum dies comitiorum anni LXIII appropinquaret, receptis animis magis magisque ex tenebris erumpere videbantur atque sese mutuo ad rem audacius aggrediendam ante Pompei reditum cohortari coeperunt; de quibus imprimis Sullani milites Manlio duce Catilinam excitaverunt et ut eius petitionem suffragiis suis adiuvarent Romam venerunt; petiit enim Catilina iterum consulatum atque Ciceronem in ipso comitiorum tumultu occidere constituit. Neque in his exponendis ullam differentiam a Ciceroniano more reperimus; nam de coniuratione in suo consulatu ex latebris erumpente et adventu Pompei coniuratos ad facinus maturandum impellente ipsum in commentario simili modo ac Plutarchum egisse verisimile est. Atque ipse inter illa coniuratorum hominum genera, quae (in Cat. 2, 17 sqq.) descripsit, veteres Sullanos milites maxime esse pertimescendos existimavit. Neque dubium est, quin idem de C. Manlio[25]) statuendum sit, quem Cicero Catilinae satellitem atque ministrum (cfr. Cat. 1, 7) ex iis coloniis, quas Sulla constituit (cfr. Cat. 2, 20) fuisse commemorat. De adiutoribus Catilinae petitionis idem prodit in or. pro Mur. § 49, ubi illum ‚circumfluentem colonorum Arretinorum et Faesulanorum exercitu' ante comitia ‚alacrem atque laetum' fuisse dicit. Neque diverse tradit de insidiis sibi a Catilina factis; id quod non solum in orat. pro Mur. § 52, sed etiam in orat. in Catil. 1, 11 hab. iisdem verbis narrat. Atque ne hoc quidem Cicero praeterit silentio perniciosissima illa consilia indicata esse divinitus et terrae motibus et fulminibus et ostentis[26]); idemque Plutarcho assentitur indicia ab hominibus delata tum temporis illa quidem vera fuisse, sed ad coarguendum virum

---

[25]) Quod idem homo ab altero Manlius, ab altero *Μάλλιος* vocatur, nullius momenti est; nam apud scriptores Graecos fere semper *Μάλλιον* invenimus. Quin codd. Latini fluctuant; namque in ep. ad Att. I, 16, 16 et cod. Mediceus ‚Mallio' et ed. Iensoniana princeps ‚Malio' praebet, atque Cat. 1, 10 nonnulli exhibent ‚Malliana castra' (idemque § 30).

[26]) cfr. Cat. 3, 18; de div. 1, 18: Cat. 2, 29.

ita nobilem atque potentem non satis firma. Etenim (pro Mur. § 50) affirmat ‚illius nefarii gladiatoris voces,' quas habuisse in contione domestica diceretur, percrebruisse', attamen fuisse, qui hanc rem minoris momenti ducerent et ipsius orationi minorem, quam par esset, fidem haberent; id quod saepenumero conquestus est[27]). Atque ne multa de posteriore huius capitis parte proferam: patebit vel ex utriusque verbis appositis Plutarchum ex Ciceronis fide totum pendere. Conferri enim licet cum illo hunc in oratione pro Mur. § 51. 52 de iisdem rebus narrantem:

Plut. c. XIV extr.	Cic. pro Mur. § 51. 52.
Διὸ τὴν ἡμέραν τῶν ἀρχαιρεσιῶν ὑπερθέμενος ὁ Κικέρων ἐκάλει τὸν Κατιλίναν εἰς τὴν σύγλητον καὶ περὶ τῶν λεγομένων ἀνέκρινεν. Ὁ δὲ πολλοὺς οἰόμενος εἶναι τοὺς πραγμάτων καινῶν ἐφιεμένους ἐν τῇ βουλῇ, καὶ ἅμα τοῖς συνωμόταις ἐνδεικνύμενος, ἀπεκρίνατο τῷ Κικέρωνι μανικὴν ἀπόκρισιν. ‚Τί γάρ' ἔφη ‚πράττω δεινόν, εἰ, δυεῖν σωμάτων ὄντων, τοῦ μὲν ἰσχνοῦ καὶ κατεφθινηκότος, ἔχοντος δὲ κεφαλήν, τοῦ δ' ἀκεφάλου μέν, ἰσχυροῦ δὲ καὶ μεγάλου, τούτῳ κεφαλὴν αὐτὸς ἐπιτίθημι;' Τούτων εἴς τε τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον ᾐνιγμένων ὑπ' αὐτοῦ, μᾶλλον ὁ Κικέρων ἔδεισε, καὶ τεθωρακισμένον αὐτὸν οἵ τε δυνατοὶ πάντες ἀπὸ τῆς οἰκίας καὶ τῶν νέων πολλοὶ κατήγαγον	Tum igitur his rebus auditis meministis fieri senatus consultum referente me, ne postero die comitia haberentur. — — Itaque postridie frequenti senatu Catilinam excitavi atque eum de his rebus iussi, si quid vellet, quae ad me allatae essent, dicere. — Tum ille dixit duo corpora esse rei publicae, unum debile infirmo capite, alterum firmum sine capite: huic si ita de se meritum esset, caput se vivo non defuturum. Congemuit et q. s. His tum rebus commotus — descendi in campum cum firmissimo praesidio fortissimorum virorum

[27]) Atque eos significavisse videtur Cicero his verbis (pro Mur. § 51): ‚Nam partim ideo fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant'; cfr. Cat. 2, 3: Sed quam multos fuisse putatis, qui quae ego deferrem non crederent? quam multos, qui etiam defenderent? cfr. Cat. 1, 30.

εἰς τὸ πεδίον. Τοῦ δὲ θώρακος ἐπίτηδες ὑπέφαινέ τι παραλύσας ἐκ τῶν ὤμων τοῦ χιτῶνος, ἐνδεικνύμενος τοῖς ὁρῶσι τὸν κίνδυνον. Οἱ δ' ἠγανάκτουν καὶ συνεστρέφοντο περὶ αὐτόν· καὶ τέλος ἐν ταῖς ψήφοις τὸν μὲν Κατιλίναν αὖθις ἐξέβαλον, εἵλοντο δὲ Σιλανὸν ὕπατον καὶ Μουρήναν.	et cum illa lata insignique lorica, non quae me tegeret — verum ut omnes boni animadverterent, et cum in metu et periculo consulem viderent, id quod est factum, ad opem praesidiumque concurrerent. Itaque — omnes — ad Murenam se statim contulerunt.

Haec igitur adeo inter se congruunt, ut Plutarchus ex oratione Ciceronis pro Murena habita cuncta transtulisse videatur. Sed quoniam Plutarchus non is erat, qui ad hanc unam rem enarrandam evolveret perlustraretque illam orationem, mirus ille consensus et rerum et verborum inde ortus est, quod eam totam ex Ciceronis commentario Graeco deprompsit, ubi easdem res plane in eundem modum atque in Mureniana narratas esse apertum est et manifestum.

Ex eodem fonte etiam caput XV fluxisse certis argumentis comprobari potest. Nam Plutarchus in vitae Crassi capite XIII quendam e coniuratis ait detulisse Crassum, sed neminem ei indicio fidem habuisse; et ipsum quidem Ciceronem quodam in scripto (ἔν τινι λόγῳ)[28]) haud obscure Crassum Caesaremque eius coniurationis participes fecisse; sed illud post utriusque mortem editum esse. In libro autem, quem de suo consulatu composuisset Cicero, Crassum tradi noctu ad ipsum accessisse,

[28]) Nescio quid Drumannus sibi voluerit, cum (l. c. V, 458; III, 168) diceret Ciceronem haec in oratione aliqua Crasso Caesarique obiecisse. Plutarchus enim, si hunc locum recte inlellego, exprimere voluit Ciceronem' quid de his viris sentiret occultasse, quamdiu viverent, post eorum mortem aperuisse. Sed quomodo fieri potuit, ut ea suspicio, quam Cicero in oratione aliqua adversus eos movit, in vulgus non emanaret? Immo significatus esse videtur liber, quem ipse ‚ἀνέκδοτα' (cfr. ad Att. II, 6, 2), Asconius ‚expositionem' vocat ‚eius consiliorum' (cfr. p. 83), ubi Crassum Caesaremque praeter ceteros ab eo reprehensos esse Dio testatur (cfr. 39, 10).

et litteras de rebus Catilinariis scriptas[29]) attulisse[30]), quo indicio confirmavisset coniurationem. Quam ob rem cum dubitari nequeat, quin Plutarchus utroque loco idem rettulerit, nisi quod hic uberius copiosiusque, illic brevius id solum, quod ad Crassum pertinebat, exposuerit, hanc quoque narrationem, quam in vita Ciceronis legimus, ex illius libro ‚περὶ ὑπατείας' sive de consulatu scripto esse petitam manifestum est. Atque ex illo loco cognoscere possumus, quem morem laudandi scriptores, quibus usus est, Plutarchus secutus sit. Nam cum in vita Crassi conscribenda eo pervenisset, ut quomodo ille in coniuratione Catilinaria se gessisset narraret, memoriam revocavit Ciceronis commentarii, qui in huius vita multo ante vitam Crassi composita[31]) ei magnae fuerat utilitati, atque ubi primum ab eo fontem suum discrepare vidit, gravissimum testem nomine apposito citavit. At in Ciceronis vita, quia alium non habuit, cui opponeret illum, eius mentionem non fecit. Itaque prorsus nihil habet miri Plutarchum, quem secutus est unum ducem, hic non commemorasse[32]). Quare cum hanc narrationem de Crasso ex Ciceronis commentario desumptum esse appareat, eidem fonte ea quoque, quae de Arrio[33]), de Manlio, de senatus consulto traduntur, Plu-

[29]) Codicum lectio ‚κομίζοντα περὶ τοῦ Κατιλίνα καὶ ζητουμένην' corrupta est neque ferri potest. Atque Sintenisium, Plutarchei sermonis peritissimum, coniectura certissima hunc locum sanasse censeo, cum scriberet ‚κομίζοντα τὰ περὶ τοῦ Κατιλίνα ἐξηγουμένην'; quae quidem alii coniecerunt, reicienda mihi videntur.

[30]) Ne haec quidem Drumanni verba (V, 458, 48) recte se habere arbitror: ‚Es ist nicht glaublich, dass alle Briefe bei Crassus abgegeben wurden. Plut. wird darin von Dio 37, 31 berichtigt.' Dio enim hoc solum tradit Ciceronem accepisse epistulas et ad Crassum et ad alios scriptas; idemque Plutarchus narrat.

[31]) cfr. Lion, de ordine quo Pl. vitas scripserit. Gott. 1837. et Michaelis, de ordine vitarum par. Pl. Berol. 1875.

[32]) cfr. A. Schmidt, Das Perikl. Zeitalter. II, p. 50; Peter, l. c. p. 41. 107.

[33]) Illum Q. Arrium, virum praetorium, probabile videtur eundem esse, quem Ciceronis familiarem fuisse novimus (cfr. in Vatin. 30; p. Mil. 46; ad Att. I, 17, 11; II, 5, 2; 7, 3; ad Quint. I, 3, 8; Brut. 242.

tarchum debere perspicuum esse mihi videtur, quia antecedentibus artissime adnexa sunt: his enim rebus effectum est, ut senatus consultum fieret consulibusque summa committeretur potestas. Quas res quam accurate Plutarchus servato temporum ordine digesserit, ex Langii libro (Röm. Alterth. III, 241) et Ihnii commentatione (Verhandl. der 26. Vers. der Philol. in Würzburg. Leipz. 1869, p. 108 sqq.) cognovimus, qui eum fide tam dignum existimaverunt, ut in his rebus enarrandis ordinandisque eius auctoritatem sequerentur.

Pergamus nunc ad caput XVI.

Atque huius prima verba similitudinem cum Cicerone prae se ferunt, quam quo facilius cognoscas, utriusque scriptoris verba afferam:

Plut. c. XVI in.	Cic. ad fam. V, 2.
Ἐπεὶ δὲ ταύτην λαβὼν τὴν ἐξουσίαν ὁ Κικέρων τὰ μὲν ἔξω πράγματα Κοΐντῳ Μετέλλῳ διεπίστευσε, τὴν δὲ πόλιν εἶχε διὰ χειρός.	Mihi tecum ita dispertitum officium fuisse in rei publicae salute retinenda, ut ego urbem a domesticis insidiis et ab intestino scelere, tu Italiam et ab armatis hostibus et ab occulta coniuratione defenderes.

Neque causam habemus, cur Ciceronem in commentario suo id, quod duobus annis ante ad Q. Caecilium Metellum amicum scripserat, commutasse censeamus. Nam cum Metello etiam anno LX familiaritate coniunctum fuisse eum epistulae eodem tempore datae testantur[34]). Proxima quoque Plutarchi verba, quippe quae cum antecedentibus coniuncta et conexa sint, ex eodem libro fluxerunt. An putas Ciceronem de hac re tacuisse, quia in eius operibus, quae supersunt, locum Plutarcheo respondentem non invenis? quamquam ipse saepenumero confessus est se semper delectam manum praesidii causa circum se habuisse[35]).

Quae deinceps sequuntur eidem auctori Plutarchum debere mihi probabile atque adeo verum videtur esse, etiamsi Dru-

[34]) cfr. ad Att. I, 19, 4 extr.; 20, 5; II, 1, 4.

[35]) cfr. Cat. 3, 5: ‚Ego ex praefectura Reatina compluris delectos adulescentis, quorum opera utor assidue in re p. et q. s.; Cat. 1, 1. 21; 4, 14, 15, 18. 19.

mannus (l. c. V, 457, 42) hanc Plutarcheae narrationis partem praeter ceteras vituperat, et Lagus (l. c. p. 88) dicit: ‚Incipit a verbis ‚οὐκέτι καρτερῶν‘ novum quoddam scribendi genus idque mendosius quam quod possit ad auctorem harum rerum veracissimum referri‘. Quos ut hoc iudicium iniquius tulisse ostendamus, satis est Plutarchum cum Cicerone comparasse.

Plut. c. XVI.	Cic. Cat. 1, 9.
Οὐκέτι καρτερῶν τὴν μέλλησιν ὁ Κατιλίνας αὐτὸς μὲν ἐκπηδᾶν ἔγνω πρὸς τὸν Μάλλιον ἐπὶ τὸ στράτευμα, Μάρκιον δὲ καὶ Κέθηγον ἐκέλευσε ξίφη λαβόντας ἐλθεῖν ἐπὶ τὰς θύρας ἕωθεν ὡς ἀσπασομένους τὸν Κικέρωνα καὶ διαχρήσασθαι προσπεσόντας. Τοῦτο Φουλβία, γυνὴ τῶν ἐπιφανῶν, ἐξαγγέλλει τῷ Κικέρωνι, νυκτὸς ἐλθοῦσα καὶ διακελευσαμένη φυλάττεσθαι τοὺς περὶ τὸν Κέθηγον. Οἱ δ' ἧκον ἅμ' ἡμέρᾳ, καὶ κωλυθέντες εἰσελθεῖν ἠγανάκτουν καὶ κατεβόων ἐπὶ θύραις, ὥστε ὑποπτότεροι γενέσθαι.	Confirmasti te ipsum iam esse exiturum, dixisti paululum tibi esse etiam nunc morae, quod ego viverem. Reperti sunt duo equites Romani, qui te ista cura liberarent et sese illa ipsa nocte paulo ante lucem me in meo lectulo interfecturos esse pollicerentur. Haec ego omnia vixdum etiam coetu vestro dimisso comperi, domum meam maioribus praesidiis munivi atque firmavi, exclusi eos, quos tu ad me salutatum mane miseras.

Atque vel inde intellegitur easdem res inter se eodem modo ab utroque esse conexas, ut ex his solis alterius affinitas cum altero luculentissime pateat. Nihili est, quod Plutarchus illum coetum apud Laecam habitum esse non diserte commemoravit, attamen ex eius narratione quid significaverit plane perspicitur. Neque quidquam habet miri, quod Cicero se ‚omnia comperisse‘ dicit, Plutarchus accurate prodit, quae mulier consuli cuncta detulerit, quoniam fieri non potuit, ut Cicero coniuratione nondum patefacta in senatu nomen illius pronuntiaret. Maxima vero difficultas in eo videtur esse, quod Plutarchus nomina eorum non recte attulit, qui se Ciceronem interfecturos polliciti sunt. Sed in his tradendis ceteros quoque scriptores in diversas partes discessisse ex eo effici potest, quod Cicero in Sullana (§ 52. 18) alterum Cornelium vocat, Sallustius alterius nomen profert, sed aliter atque ille

senatorem fuisse hunc testatur, atque e scriptoribus aetate posterioribus cum Appianus (b. c. II, 3) falso Lentulum et Cethegum nominet, Dio de nominibus prorsus tacet. Apparet igitur inter eos qua maior nulla cogitari potest discrepantiam esse. Neque igitur merito Drumannus errorem omnium communem Plutarcho soli crimini dedit (cfr. l. c. V, 457, 42). Quamquam hoc loco Plutarchum defendere mihi non in animo est, quoniam in eius libris non paucos errores nimia scribendi festinatione vel etiam neglegentia quadam ortos deprehendi non ignoro; illud tamen silentio non praetereundum esse iudico, quod ut C. Cornelii Cethegi mentionem faceret, eum fefellisse videtur non solum praenomen et nomen gentile, quod habuit cum Cethego commune is, qui Ciceronem sibi interficiendum poposcerat, sed etiam id quod saepenumero apud ipsum Ciceronem legimus Cethego mandatum esse, ut senatores atque imprimis consulem confoderet[36]). Magis vero de Marcio ambigimus, utrum hic error Plutarchi an librarii neglegentiae, quod ego quidem malim, attribuendus sit, praesertim cum libros nominibus propriis praecipue depravatis inquinatos esse omnibus notum sit. Cetera quoque si non iisdem, at certe simillimis verbis ab utroque narrantur:

Plut. c. XVI.	Cic. Cat. 2, 12.
Προελθὼν δ' ὁ Κικέρων ἐκάλει τὴν σύγκλητον εἰς τὸ τοῦ Στησίου Διὸς ἱερόν, ὃν Στάτορα Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, ἱδρυμένον ἐν ἀρχῇ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ πρὸς τὸ Παλάτιον ἀνιόντων.	Quid? ut hesterno die cum domi meae paene interfectus essem senatum in aedem Iovis Statoris vocavi; —
Ἐνταῦθα καὶ τοῦ Κατιλίνα μετὰ τῶν ἄλλων[37]) ἐλθόντος ὡς ἀπολογησομένου,	quo cum Catilina venisset, qui eum senator appellavit? et q. s. —
συγκαθίσαι μὲν οὐδεὶς ὑπέμεινε τῶν συγκλητικῶν, ἀλλὰ πάντες ἀπὸ τοῦ βάθρου μετῆλθον.	quin etiam principes eius ordinis partem illam subselliorum, ad quam ille accesserat, nudam atque inanem reliquerunt.

[36]) cfr. Cat. 4, 13; pro Sull. 53; Cat. 4, 11 extr.

[37]) cfr. Cat. 1, 8 (extr.) 9.

Vides igitur haec omnia ex Ciceronis auctoritate pendere exceptis eis, quae Plutarchus de situ aedis Iovis Statoris interposuit. Est enim eius consuetudo, quam sexcenties in libris eius deprehendis, narrationi talia inserendi, quoniam vitas clarorum virorum imprimis Graecis hominibus legendas proponere voluit.

At propter ea quae subsequuntur ,*ὁ Κικέρων ἀναστὰς προσέταξεν αὐτῷ τῆς πόλεως ἀπαλλάττεσθαι*' Plutarchum iam veteres interpretes reprehenderunt, cum consul non iussisset Catilinam ire in exsilium, sed suasisset tantum. Quod quidem levissimi est momenti. Nam Cicero, cum initio regiae potestatis invidiam timens haesitaret[38]), quo verbo uteretur, postea non veritus est profiteri se eiecisse Catilinam ex urbe.

Etiam proxima Plutarchi verba ex Cicerone desumpta sunt, qui totum locum eodem modo ac Plutarchus in oratione in Pisonem habita expressit: ,Ego L. Catilinam — egredi ex urbe iussi, ut a quo legibus non poteramus moenibus tuti esse possemus'[39]).

Neque de Catilinae exitu Plutarchus a Cicerone discrepat, qui quamquam (in or. Cat. 2, 4) conquestus est, quod ille ex urbe parum comitatus exiit, tamen (Cat. 1, 24) se cognovisse affirmat a Catilina praemissos esse, qui ei ad Forum Aurelium praestolarentur armati, etiam esse praemissam aquilam argenteam aliaque imperii insignia (cfr. Cat. 2, 13). Itaque si apud Plutarchum interpungimus in hunc modum: ,*ὁ μὲν οὖν Κ. εὐθὺς ἐξελθών, μετὰ τριακοσίων ὁπλοφόρων καὶ περιστησάμενος αὑτῷ ῥαβδουχίας κ. τ. λ. πρὸς τὸν Μάλλιον ἐχώρει*' ita ut vocabula ,*μετὰ τριακοσίων*' cum verbo ,*ἐχώρει*' cohaereant, optima sententia neque a Cicerone aliena efficitur. Et hoc quidem nemo erit quin concedat Ciceronem in commentario suo, unde Plutarchus hausit, paulo diligentius descripsisse, quam in prima et secunda Catilinaria; quas cum haberet, nondum accurate sciebat neque scire poterat, quanto cum numero armatorum Catilina se in castra contulisset atque

---

[38]) cfr. Cat. 2, 1: ,Catilinam — vel eiecimus, vel emisimus vel ipsum egredientem verbis prosecuti sumus'. cfr. Cat. 3, 16; pro Mur. 6; ad Att. II, 1, 3.

[39]) cfr. etiam Cat. 1, 11: ,Magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit'.

quomodo ibi se gessisset. Ac ne illud quidem quidquam refert, utrum Plutarchus recte tradiderit Catilinam viginti milia hominum coegisse, an hic numerus in posterius tempus quadret, quoniam Sallustius illum initio duo tantum milia habuisse memoriae prodidit; nam diiudicare nequimus, utri fides habenda sit.

Toto capite XVII de P. Cornelio Lentulo Sura agitur, cuius mores, quia ille inter principes coniurationis fuit, Ciceronem in commentario suo uberius expressisse certa coniectura consequi possumus. Atque hunc aeque ac Plutarchum Lentulo primarias partes, si Catilinam exceperis, tribuisse multi loci probant, quos diligenter adscribere supersedeo [40]). Itaque Plutarchus priorem capitis XVII partem e Cicerone hausisse credi potest. Sed alium auctorem secutus, quod quidem interpositis verbis ‚*λέγεται δὲ καί*' et ‚*πάλιν δέ*' significat, duas historiolas, quo facilius lectores Lentuli ingenium moresque cognoscerent, adiecit, quas ex ea dictorum copia, quam congesserat, sumpsisse existimandus est. Nam multorum et philosophorum et historicorum libros studiose persecutus undique, quae commemoranda videbantur, excerpere consuevit, ita ut cum vitas, quas dicimus parallelas, conscribere coepisset, multa ex illis collectaneis, ut ita dicam, narrationi aptissimo quoque loco insereret. Redit deinde Plutarchus ad eundem fontem, quo paulo ante usus erat. Nam quae de Lentulo vaticinationibus confictis corrupto tradit, eum certe a Cicerone accepisse ex utriusque scriptoris comparatione instituta apparebit:

Plut. c. XVII.	Cic. Cat. 3, 9.
Τοῦτον . . προσδιέφθειραν ἐλπίσι κεναῖς ψευδομάντεις καὶ γόητες ἔπη πεπλασμένα καὶ χρησμοὺς ᾄδοντες, ὡς ἐκ τῶν Σιβυλλείων προδηλοῦντας εἱμαρμένους εἶναι τῇ Ῥώμῃ Κορνηλίους τρεῖς μονάρχους, ὧν δύο μὲν ἤδη πεπληρωκέναι τὸ χρεών, Κίνναν τε καὶ Σύλλαν, τρίτῳ δὲ λοιπῷ	Introducti autem Galli dixerunt — Lentulum sibi confirmasse ex fatis Sibyllinis haruspicumque responsis se esse illum tertium Cornelium, ad quem regnum huius urbis atque imperium pervenire esset

40) cfr. pro Sull. 33. 53. 16. 17. 30; Cat. 3, 4; 4, 13.

Κορνηλίῳ ἐκείνῳ φέροντα τὴν μοναρχίαν ἥκειν τὸν δαίμονα, καὶ δεῖν πάντως δέχεσθαι καὶ μὴ διαφθείρειν μέλλοντα[41]) *τοὺς καιροὺς ὥσπερ Κατιλίνας.*

necesse; Cinnam ante se et Sullam fuisse: eundem sqq. cfr. etiam Cat. 4, 2 extr.

Etiam caput XVIII totum Plutarchus commentario Ciceronis debet. Quamquam hic earum orationum, quae exstant, nullo loco de eadem re ab illo tractata hoc capite velut uno tenore exponit, sed singula tantum attingit, ut nonnulla frustra apud eum requiras, tamen si Plutarchum in singulis cum Cicerone consentire demonstraverimus, haec cuncta, cum inter se tam arte cohaereant, ut vix divelli possint, ex eo fluxisse credamus necesse est. Atque Cicero quoque Lentulum *nihil* humile, nihil vile cogitasse censet: nam hic ad evertenda, ut ipsius verbis utar, fundamenta rei publicae Gallos arcessit, servitia concitat, Catilinam vocat (cfr. Cat. 4, 13). Neque ab illo recedunt, ut iam supra diximus, ea quae de Pompeio eiusque liberis Plutarchus narrat. Similiter deinde Saturnalia[42]) ad caedem constituta esse ab utroque refertur (cfr. Cat. 3, 10. 17). Leve vero discrimen est, quod Plutarchus non modo arma, sed etiam stuppam et sulphur in Cethegi

[41]) Ac ne quis haec verba a Cicerone dissentire temere opinetur, quem Lentuli tarditatem somnumque castigasse notum est. Minime enim hoc loco Lentulus impiger et acer et audax fuisse dicitur, sed ei, qui vana illa oracula cecinerunt, illum exitasse traduntur, ne cunctando occasionem perderet. Catilinam vero ipsum coniuratis, qui in urbe versabantur, lentius progredi visum esse ex eo perspicitur, quod ei mandaverunt, ut ad urbem quam primum cum exercitu accederet. (Cat. 3, 8.)

[42]) Plutarchus unam e Saturnalibus noctem ad caedem faciendam definitam esse tradit, quamquam, ut Drumannus adnotat, illa Ciceronis aetate haec solemnia unico die, a. d. XIV Kal. Ian., inde vero a Caesare et Augusto tribus diebus celebrabantur. Cui Beckerus (cfr. Handb. der röm. Alt. 4, 460) et veteres scriptores, quorum locos ille attulit, assentiuntur. Sed me offendit Ciceronis locus ab utroque neglectus (cfr. ad Att. V, 20, 5), ubi Cicero anno LI scribit: ‚Saturnalibus tertiis', unde pluribus diebus iam tum Saturnalia esse peracta liquido colligeres. Sed fac Plutarchum errasse. Nonne facillime fieri potuit, ut cum in fonte suo inveniret ‚Saturnalibus' sive potius ‚*ἐν τοῖς Κρονίοις*', quoniam ipsius aetate hanc festivitatem quinque diebus celebrari sciebat, unam tantum noctem ex his ad illud facinus fuisse destinatam adderet?

domo abscondita fuisse dicit. Namque fieri potuit, ut Cicero in Catilinaria III (§ 8. 10), ubi ex illius aedibus maximum sicarum numerum et gladiorum elatum esse narrat, id solum, quod gravissimum videbatur, attingeret, nisi forte, quo tempore hanc orationem habuit, nondum accurate noverat praeter ferramenta alia quoque inventa esse apud Cethegum. In eo denique inter se consentiunt, quod initum esse consilium tradunt, ut urbs simul ex omnibus partibus, quemadmodum descriptum distributumque erat, incenderetur (cfr. Cat. 3, 8), praeterquam quod Plutarchus accurate adiecit centum fuisse viros, quibus hoc mandatum essst. Homines autem electos esse, qui aquae ductus obturarent et aquam ad restinguendum petentes necarent, Cicero plane omisit. Sed, si Plutarchum ad haec enarranda alium adisse auctorem concluderes, valde errares. Quis enim est, qui Ciceronem in illa oratione, quam habuit simulatque coniurationem omnibus patefecit, id quod a deis immortalibus semper optabat, omnia accuratissime et subtilissime exornasse existimet? Nonne credere nos oportet animum eius commotum et percussum fuisse hac re subito praeter opinionem facta? In commentario vero haec diligentissime ornatissimeque ab eo descripta esse apparet. Quid? quod ipse hanc rem velut omnibus depingere coloribus se solere profitetur (cfr. ad Att. I, 14, 3): ‚totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus — soleo pingere, de flamma, de ferro — nosti illas *ληκύϑους* — valde graviter pertexuit‘.

Deinde exponitur, quomodo factum sit, ut tota res manifesto deprehenderetur; ubi tantum invenimus consensum cum rerum traditarum, tum ipsorum verborum, ut Plutarchum etiam in his exponendis totum Ciceronis vestigiis insistere existimemus necesse sit:

Plut. c. XVIII. XIX.

Πραττομένων δὲ τούτων ἔτυχον ἐπιδημοῦντες Ἀλλοβρίγων δύο πρέσβεις, ἔϑνους μάλιστα δὴ τότε πονηρὰ πράττοντος καὶ βαρυνομένου τὴν ἡγεμονίαν. Τούτους οἱ περὶ Λέντλον ὠφελίμους ἡγούμενοι πρὸς τὸ κινῆσαι καὶ μεταβαλεῖν τὴν Γαλα-

Cic. Cat. 3, 4 sqq.

Itaque ut comperi legatos Allobrogum (ex civitate male pacata, quae gens una restat, quae populo bellum facere et non nolle videatur cfr. 3, 22) belli Transalpini et tumultus Gallici exitandi causa a P. Lentulo esse sollicitatos, eosque

τίαν ἐποιήσαντο συνωμότας. Καὶ γράμματα μὲν αὐτοῖς πρὸς τὴν ἐκεῖ βουλήν, γράμματα δὲ πρὸς Κατιλίναν ἔδοσαν, τῇ μὲν ὑπισχνούμενοι τὴν ἐλευθερίαν, τὸν δὲ Κατιλίναν παρακαλοῦντες ἐλευθερώσαντα τοὺς δούλους ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἐλαύνειν.

Συναπέστελλον δὲ μετ' αὐτῶν πρὸς τὸν Κατιλίναν Τίτον τινὰ Κροτωνιάτην κομίζοντα τὰς ἐπιστολάς.

(Ὁ Κικέρων) ἔγνω τὴν πρὸς τοὺς ξένους κοινολογίαν [43]).

Καὶ νυκτὸς ἐνεδρεύσας ἔλαβε τὸν Κροτωνιάτην καὶ τὰ γράμματα συνεργούντων ἀδήλως τῶν Ἀλλοβρίγων [44]).

Ἅμα δ' ἡμέρᾳ βουλὴν ἀθροίσας εἰς τὸ τῆς Ὁμονοίας ἱερὸν ἐξανέγνω τὰ γράμματα καὶ τῶν μηνυτῶν διήκουσεν.

in Galliam ad suos civis eodemque itinere cum litteris mandatisque ad Catilinam esse missos [erat scriptum — Allobrogum senatui et populo sese quae eorum legatis confirmasset facturum esse. cfr. 3, 10.]

[ut (Catilina) servorum praesidio uteretur, ut ad urbem quam primum cum exercitu accederet. cfr. 3, 8.]

comitemque iis adiunctum esse Titum Volturcium atque huic ad Catilinam esse datas litteras, facultatem mihi oblatam putavi, ut — tota res non solum a me, sed etiam a senatu et a vobis manifesto deprehenderetur.

§ 6: interim tertia vigilia exacta — fit in eos impetus — litterae — traduntur; ipsi comprehensi.

ad me cum iam dilucesceret deducuntur. — Senatum frequentem celeriter coëgi. [cum hodierno die mane — et coniurati et eorum indices in aedem Concordiae ducerentur cfr. § 21).

§ 8. Introduxi Vulturcium.

§ 9. Introducti autem Galli.

§ 10. Tabellas proferri iussimus — legimus.

[43]) Plutarchus Fabium Sangam, quem Sallustius (c. 41 extr.) nominat, Allobrogum indicia ad consulem detulisse silentio praeterit. Atque mirum in modum ne Cicero quidem eum usquam laudavit, sed ‚Murenam consulem designatum ad se cum Allobrogibus communis exitii indicia attulisse' ait (cfr. or. de dom. 134 extr.).

[44]) Allobroges hac in re Ciceronem adiuvisse per se apertum est.

Ἔφη δὲ καὶ Σιλανος Ἰούνιος ἀκηκοέναι τινὰς Κεθήγου λέγοντος, ὡς ὕπατοί τε τρεῖς καὶ στρατηγοὶ τέτταρες ἀναιρεῖσθαι μέλλουσι. Τοιαῦτα δ' ἕτερα καὶ Πείσων, ἀνὴρ ὑπατικός, εἰσήγγειλε.[45]).

Γάϊος δὲ Σουλπίκιος, εἷς τῶν στρατηγῶν, ἐπὶ τὴν οἰκίαν πεμφθεὶς τοῦ Κεθήγου πολλὰ μὲν ἐν αὐτῇ βέλη καὶ ὅπλα, πλεῖστα δὲ ξίφη καὶ μαχαίρας εὗρε νεοθήκτους ἁπάσας.

§ 8. Atque interea — C. Sulpicium praetorem, fortem virum, misi, qui ex aedibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret: ex quibus ille maximum sicarum numerum et gladiorum extulit.

Τέλος δὲ τῷ Κροτωνιάτῃ ψηφισαμένης ἄδειαν ἐπὶ μηνύσει τῆς βουλῆς ἐξελεγχθεὶς ὁ Λέντλος

§ 12. Vulturcius [fidem publicam iussu senatus dedi (ei) cfr. § 8] litteras aperiri iubet. Atque ibi vehementissime perturbatus Lentulus signum — cognovit.

ἀπωμόσατο τὴν ἀρχήν (στρατηγῶν γὰρ ἐτύγχανε), καὶ τὴν περιπόρφυρον ἐν τῇ βουλῇ καταθέμενος διήλλαξεν ἐσθῆτα τῇ συμφορᾷ πρέπουσαν.

§ 15. Lentulus, quamquam — indicio senatus non modo praetoris ius, verum etiam civis amiserat, tamen magistratu se abdicavit.

Οὗτος μὲν οὖν καὶ οἱ σὺν αὐτῷ παρεδόθησαν εἰς ἄδεσμον φυλακὴν τοῖς στρατηγοῖς.

§ 14. Atque ita censuerunt, ut P. Lentulus, cum se praetura abdicasset, in custodiam traderetur: itemque uti Cethegus sqq. in custodiam traderentur.

---

[45]) De Iunii Silani et C. Pisonis indiciis nemo disseruit nisi Plutarchus. Sed non est, cur haec aut falsa aut ab ipso Cicerone omissa esse putemus. Quin etiam Drumannus (l. c. V, 494, 92) Plutarcho quamquam vel minimam fidem auctoritatemque tribuere solet, has tamen res non solum dignas esse existimat, quae credantur, sed etiam consules praetoresque enumerat, quorum caedem Cethegus significaverat.

Haec igitur tam mirum consensum inter se ostentant, ut paene ad verbum a Plutarcho translata videantur e tertia Catilinaria. Sed ut de certo numero legatorum, de patria Vulturcii, de Silani Pisonisque indiciis aliisque rebus, quae illic non leguntur, taceam: putasne Plutarchum tantam operam in rebus undique colligendis consumpsisse, ut quaecunque apta viderentur, in usum suum converteret ex illa oratione, cum ei liceret hanc rem ab eodem auctore memoriae proditam ex commentario Graeco sine ullo labore excerpere?

Huc igitur quaecunque maxime Ciceronis videntur esse, referenda sunt.

Restat, ut de iis, quae capite XVIII extremo commemorantur, disseramus. Namque hic coniuratis, qui quaecunque fecerunt, inconsiderate et temere agebant, consul optimus opponitur, qui vigilantia et providentia, sollertia et consilio, labore et periculo suo coniurationem aperuit; quod quidem ab ipsius Ciceronis more minime abhorret. Neque enim usquam eiusmodi laudes orationibus scriptisque suis inserere dubitavit, et ut hoc confirmem exemplo, apud populum in eundem modum dixit: ‚Rem publicam, Quirites, vitamque omnium vestrum — hodierno die deorum immortalium summo erga vos amore, laboribus, consiliis, periculis meis — restitutam videtis. — Atque ego — in eo omnes dies noctesque consumpsi, ut quid (coniurati) agerent, quid molirentur, sentirem ac viderem. (cfr. Cat. 3, 1. 4)[46]. Nonne haec cum Plutarcho plane congruere videntur?

Haec igitur Ciceronem etiam in commentario illo, quem Plutarchus secutus est, in suam commendationem descripsisse verisimillimum est.

Videamus nunc extremam capitis XIX et priorem cap. XX partem a verbis ‚*ἤδη δ' ἑσπέρας οὔσης* usque ad verba *παρὰ τὰς πολιτικὰς ἐχρῆτο πράξεις*‘. Quae tota ex eodem fonte pendere difficilius est exemplis probare quam sensu quasi percipere. Etenim quae hic memoriae produntur, magna ex parte apud Plutarchum solum inveniuntur, ut non habeamus, quod ad sententiam nostram confirmandam cum illo

---

[46]) Eadem ratione de se et ipse praedicavit aliis quoque locis: (cfr. Cat. 4, 5; pro Sull. 33) et dicentem facit de se Torquatum in or. pro Sulla hab. 3. 4.

conferamus. Sed licet desint loci, tamen Plutarchum etiam haec e Cicerone hausisse coniectura probabilissima assequi possumus, quia nihil legimus, quod ab huius more modoque has res enarrandi discrepet. Accedit, quod quaecunque narrantur eaque imprimis, quae Ciceronem spectant, accuratissime exscripta videntur ex auctore, qui rebus ipse interfuit oculisque suis cuncta vidit[47]).

Sed ad singula veniamus.

Atque tertiam orationem Catilinariam, quam verbis ‚ἤδη δ' ἑσπέρας οὔσης καὶ τοῦ δήμου περιμένοντος ἀθρόου προελθὼν ὁ Κικέρων καὶ φράσας τὸ πρᾶγμα τοῖς πολίταις' significari omnes concedent nisi qui hanc spuriam esse opinantur, a Cicerone habitam esse, cum iam advesperasset, rectissime Plutarchus memoriae prodit; id quod quamquam diserte nusquam traditur, concludi tamen potest ex ipsius Ciceronis oratione (cfr. Cat. 3, 29). Hoc quoque verisimillimum videtur Ciceronem a populo in aedes amici cuiusdam vicini deductum esse, cum ipsius domum mulieres arcana Bonae Deae sacra celebrantes obtinerent. Cives enim, quorum animos tota coniuratione patefacta vehementer percussos fuisse et per se patet et Sallustii testimonio confirmatur, consuli cum rem publicam e summo discrimine eripuisse videretur, gratias quam maximas habuisse in promptu est. Manifesto vero Ciceronis vestigia in eo deprehendimus, quod Plutarchus consulem illa nocte deliberantem fecit, quid de iis, quos ceperat, statueret. Ipse enim solus, quae tum mente agitavit, optime scire et describere potuit. Neque inconsulto narrasse videtur se, cum initio in utramque partem animo diu multumque deliberasset, quid de coniuratis fieri vellet, deorum immortalium nutu admonitum esse, ut quae pro patriae salute cogitasset, libere et strenuo perficeret, sed eo consilio id fecisse existimandus est, ut odium et invidiam ob internecionem civium ortam imminueret. Namque iam extremis anni LXIII diebus L. Calpurnius Bestia et Q. Caecilius Metellus Nepos tribuni pl. eum vexare coeperunt atque inde ab hoc tempore non defuerunt, qui quae pro communi rei publicae utilitate unoque omnium consensu gessisse et praeclarissime perfecisse sibi videbatur, ei crimini darent. Quin etiam L. Manlium Torquatum, cum Sullam accusarct, ‚suppressa

[47]) cfr. Weizsaecker. l. c. p. 426.

voce de scelere P. Lentuli, de audacia coniuratorum omnium, de supplicio, de carcere magna et queribunda voce dixisse' ipse testatur (cfr. pro Sull. 30). Atque eundem Torquatum iam tum illud quoque Ciceroni obiecisse, quod consulari potestate immodice et insolenter abusus esset, ita ut eum tertium peregrinum regem esse, cuius regnum ferri non posset, dicere non vereretur, ex eiusdem orationis paragraphis 21. 22 apparet. Hoc igitur maxime spectare, huic potissimum respondere videntur Plutarchi verba, quae cap. XIX extr. leguntur: Ciceronem ab extremo supplicio abhorruisse cum ob naturae suae humanitatem[48]), tum vero quod vereretur, ne se supra modum extollere videretur, si in viros et ipsos nobilissimos et potentes amicos habentes graviter animadverteret[49]).

Neque eo haec sententia debilitatur, quod Cicero simulatque Lentulum ceterosque deprehendit, morte eos multandos censuisse videtur, quod quidem ipse in or. Cat. 3, 15 significat. Namque in illa oratione, quam non multo postquam a senatu amplissimas gratias accepit, habuit, de hac re aliter exposuit, aliter in commentario Graeco scripsit, quem ab eo compositum esse constat, cum memoriam sempiternam illius diei totiusque consulatus sui, quam unam postulaverat[50]), paene exstinctam neque quidquam relictum esse nisi illius facti invidiam intellegere coepisset.

Ac ne quis putet verba quae cap. XIX extr. leguntur ‚*αὐτός τε (μαλακώτερον χρησάμενος αὐτοῖς) δόξειν ἄνανδρος καὶ μαλακός*' Ciceroni minime tribui posse. Nam si Ciceronem, fortasse quia se natura timidiorem esse ipse sentiebat, operam dedisse memineris, ut vir fortis et constans duceretur[51]), cum illa nocte in utramque partem de animadversione coniuratorum se disputasse simularet, id quoque respexisse existimandus est, ne si reos dimitteret, parum animosus videretur[52]). Itaque hoc quoque quin ex Ciceronis commentario

48) pro Sull. 8 ipse affirmat se natura misericordem; crudelem nec patria nec natura esse.

49) Similiter ipse Cat. 1, 30: Si in hunc (Catil.) animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent.

50) cfr. Cat. 3, 26; 4, 23.

51) cfr. ad fam. V, 2, 8.

52) Atque similiter iudicat (cfr. Cat. 1, 3) ipsi crimini dari posse se non satis fortiter gessisse in Catilinam, quem gravissimo supplicio affici oportebat.

fluxerit, non video cur dubitemus. Sed quae interposuit Plutarchus ‚οὐδ' ἄλλως δοκῶν εὐτολμότατος εἶναι τοῖς ἄλλοις' sive de suo adiecit sive ex alio fonte petivit, fortasse ex eodem, quo in posteriore vitae Ciceronianae parte usus est. Nam cum ei in mentem venisset hic tradi Ciceronem neque exsilium constanti animo pertulisse (cfr. c. 32), neque aliis in rebus fortitudinem prae se tulisse (cfr. c. 42; compar. Dem. c. Cic. c. 5) haec adiecit; id quod vel verbis ‚οὐδ' ἄλλως' significasse videtur.

Atque cum illis proxima (cap. XX in.) de ostento in sacrificio Bonae Deae facto exposita, quoniam Ciceronis deliberationi finem faciunt, quasi adiuncta et adnexa videantur, facile in eam opinionem adduceris, ut haec quoque inde petita putes. Quam opinionem quominus pro certo habeamus, impedire videtur Servii adnotatio ad Vergilii eclogae VIII versum 105 interpretandum scripta, quam apponam totam:

‚Aspice, corripuit tremulis altaria flammis Sponte sua': ‚sine igne subito ex ipsis cineribus flamma emersit. hoc uxori Ciceronis dicitur contigisse: cum post peractum sacrificium libare vellet in cinerem, ex ipso cinere flamma surrexit, quae flamma eodem anno consulem futurum ostendit eius maritum, sicut Cicero in suo testatur poemate'.

Atque cum non dubium sit, quin Plutarchus Serviusque de eadem re disseruerint, mirum est quam variae discrepantesque eorum sententiae sint. Alter enim Cicerone teste nominatim citato hoc portentum eo anno, quo ille candidatus fuit, alter extremo consulatus mense factum esse affirmat. Huc accedit, quod in oratione Catilinaria quarta, quam Cicero habuit postridie eius diei, quo hanc rem evenisse Plutarchus narrat, eius nulla mentio fit. Quae quomodo expediri et inter se conciliari possint, nemo explicavit[53]). Et ut hanc rem, quam ad nostram disquisitionem plurimum valere intelleges, via et ratione tractemus, primum a quibus et quo modo et quo tempore hoc sacrificium fieri solitum sit, nobis exponendum est. Mysteria enim Bonae Deae a matronis Romanis iisque nobilissimis pro salute populi quotannis celebrabantur noctu in domo eius consulis sive praetoris, penes quem tum

[53]) Weizsaeckerus l. c. 426 hunc Plutarchi locum obiter tractans hanc difficultatem sive non vidit, sive videre noluit.

temporis imperium erat. Aderant etiam virgines Vestales, faciundis vero sacris et caeremoniis rite perpetrandis consulis sive praetoris uxor (aut mater) praeerat. Quo tempore hoc sacrificium peractum sit, ut demonstremus, quamvis ex hoc Plutarcheo loco dilucide perspiciatur, tamen quoniam disceptatur, utrum ille exposuerit suo quaeque tempore nec ne, alio utamur necesse est testimonio a Drumanno (l. c. II, 204. 72) allato, quod quidem convelli nequit: ‚Entschieden fiel das Fest in den Anfang des December; denn Cicero meldet ad Att. 1, 12 am 1. Ianuar 61 das Vergehen des Clodius als Neuigkeit'. Nonne hoc satis certum testimonium esse putas? Quae cum ita sint, Servii verba plurimum offensionis habent. Nam cum Cicero anno LXVI praetura functus priusquam in annum LXIII consul crearetur, imperium non haberet, fieri non potuit, ut hoc ostentum Terentiae sacrificium peragenti ante mariti consulatum contingeret. Ac ne eodem quidem anno, quia mense demum Decembri mysteria celebrabantur, consulem futurum Ciceronem hoc portentum ostendere potuit.

Ergo aut Servium errasse statuendum est, aut verba: ‚quae flamma — poemate' ab interpolatore quodam esse interposita, praesertim cum multa illius grammatici genuinae orationi adiecta esse notum sit.

In Catilinaria vero quarta Cicero hanc rem omisit, sive quod speciem prae se tulit se neutri parti momentum velle afferre, sive quia supervacaneum esse existimavit talia ad senatores in coniuratos sollicitandos proferre, sive quia de hac re copiosius exponere veritus est, ne mulierum ineptiis fidem quam maximam habere videretur. Paulo post vero cum ea, quae illo tempore laudibus ad caelum efferebantur, sibi non modo non prodesse, sed etiam obesse sensisset, hoc commentario suo inseruit, quoniam idoneum videbatur, quod hominum invidiam leniret. Quae cum ita sint, haec quoque ex eodem fonte derivata esse pro certo dici potest.

Atque huic narrationi Plutarchus Terentiae ingenii adumbrationem, quam aliunde deprompsit, addidit: ‚*καὶ γὰρ οὐδ' ἄλλως ἦν πρᾳεῖα — μεταδιδοῦσα τῶν οἰκιακῶν ἐκείνῳ*', quae verba editores uncis incluserunt, quia primo aspectu in oculos incurrit haec ex alio fonte — suspicor e Tirone, qui ad rem suam comprobandam Ciceronem ipsum citavit testem, id quod

Plutarchus ad verbum expressit — petita esse, quod quidem etiam verbis *καὶ γὰρ οὐδ' ἄλλως* ipse indicat.

Terentiam vero maritum incitasse in coniuratos illo tempore rumorem dissipatum esse vel inde intellegitur, quod declamationis in Ciceronem auctor, quae falso Sallustio attribuitur, ei obiecit ‚post consulatum cum uxore quaedam de re publica eum consuluisse, legis Plautiae iudicia domi fecisse, ex coniuratis alios pecunia, alios exsilio condemnasse' (cfr. cap. 2, 3). Quae deinceps de Quinto fratre atque de Nigidio exponuntur, adeo ostentant morem Ciceronianum, ut Plutarchum ea ab ipso accepisse luce clarius sit. Namque Cicero, ut iam superiore loco monuimus, ubi de Metello diximus, quibus erat adiutoribus in coniuratione opprimenda usus, eos in libris suis exornare solebat, ut hi ‚quasi testes essent sempiterni' illorum erga ipsum meritorum (cfr. ad fam. I, 9, 23). Qui quoniam saepenumero cum fratrem, tum Nigidium laudibus ad caelum extulit [54]), eandem amicissimos laudandi consuetudinem in commentario suo tenuisse existimandus est, praesertim cum hoc loco excusatio quaedam illis laudibus artificiose adnecti posset ipsius commendatrix. Huc accedit, quod Plutarchum etiam in libro, qui inscribitur ‚An seni res publica gerenda sit' (cfr. cap. 27), cum P. Nigidium consulis in re publica administranda socium et omnium eius consiliorum participem fuisse testimonio ipsius Ciceronis allato confirmet, eundem commentarium respexisse atque in usum suum vocasse verisimile est.

Enarrantur deinde sententiae, quae de coniuratorum supplicio in senatu dictae sunt. Sed priusquam hanc quoque Plutarcheae narrationis partem cum Ciceroniana congruere demonstramus, pauca de digressione dicenda esse videntur, quam Plutarchus fecit, ut primum Caesarem commemoravit a verbis ‚*τότε δὲ νέος ὢν* usque ad *ἢ Καῖσαρ ἐκείνοις κολάσεως*'.

Quae neque cum antecedentibus, neque cum sequentibus cohaerere, sed ordinem rerum traditarum interrumpere, qui hunc locum perlegerit, statim cognoscet. Plutarchus enim Caesaris sententiam explicaturus, cum ducem quem sequebatur praecipuum, de illo viro non satis copiose exposuisse intellexisset, nonnulla addidit, ut Caesaris ingenium planius appareret neve materies gravissima, de qua a veteribus vehe-

[54]) cfr. ad Quint. fr. I, 1, 34; I, 2 extr.; ad fam. IV, 13, 2.

menter disceptabatur, praetermitti videretur. Quae utrum ex auctore aliquo exscripserit, an ex, collectaneis' suis deprompserit, an ex ea, qua fuit eruditione, prompte adiecerit, diiudicare non audeo. His igitur interpositis Plutarchus cetera, ut instituit, persecutus priorem ad fontem rediit. Incipiendum est nobis a verbis: ,*τῇ ὑστεραίᾳ γενομένων ἐν συγκλήτῳ λόγων περὶ τιμωρίας τῶν ἀνδρῶν*'. Atque primum a Plutarcho diem, quo de Lentulo ceterisque in senatu agebatur, neglegenter definitum esse contendunt[55]). Quem si omnia recte computaveris, non esse vituperandum facile intelleges. Nam a. d. III Non. Decembr., cum iam nox esset, Cicero domum amici cuiusdam vicini ingressus postquam et ipse iam diu secum cogitavit, quid de coniuratis fieri vellet, et cum Nigidio fratreque disputavit, temporibus demum sublucanis sive sub solis ortum, id quod Dio diserte testatur ,*ἅμα τῇ ἕῳ*', illud laetum omen a Terentia accepit, quod peracto sacrificio dicebatur factum esse. Tum ,*τῇ ὑστεραίᾳ*', seu Nonis Decembr.[56]) consul senatum coegit, id quod cum Cicerone (cfr. Cat. 4, 10. 5) plane consentit. Itaque vel hac accurata temporum descriptione, quam non modo in his deprehendimus, sed etiam in prioribus proximisque, sane confirmari censeo haec ex ipso Cicerone hausta esse, quem omnia diligentissime descripsisse apparet. Atque Silani sententiae, qui abductos in carcerem ultimo supplicio afficiendos censuit, omnes usque ad Caesarem suffragatos esse, idem Cicero indicare videtur in epistula ad Atticum (XII, 21, 1) data: ,Sententiam — de animadversione — omnes ante dixerant praeter Caesarem'.

At vero si haec Plutarchi comparaveris cum Cicerone:

Cap. XXI.	Cat. 4, 7.
Καῖσαρ — ἀναστὰς ἀπεφήνατο μὴ θανατοῦν τοὺς ἄνδρας, ἀλλὰ τὰς οὐσίας εἶναι δημοσίας, αὐτοὺς δ' ἀπαχθέντας εἰς πόλεις τῆς Ἰταλίας, ἃς ἂν δοκῇ Κικέρωνι, τηρεῖσθαι δεδεμένους, ἄχρι ἂν οὗ καταπολεμηθῇ Κατιλίνας.	Caesar (is, qui) mortis poenam removet. — Vincula vero et ea sempiterna certe ad singularem poenam nefarii sceleris inventa sunt. Municipiis dispertiri iubet. § 8: Bona praeterea publicari iubet.

---

55) cfr. Weizsaecker. l. c. p. 427 in.

56) Apud Romanos diem spatio a media nocte ad proximam usque mediam contineri ex Censorino (de d. n. cap. 23) elucet.

facile intelleges Plutarchi verba ,ἄς ἂν δοκῇ Κικ. τηρεῖσθαι δεδεμένους, ἄχρι ἂν οὗ καταπολεμηθῇ Κατιλίνας' ab illo longe recedere. Nam etiamsi in illa Ciceronis oratione non desunt, quae ad haec referri possint, quod Caesaris sententiam de coniuratis municipatim dividendis difficultatem quandam habere videri ipse confessus est, tamen hac ratione non omnes difficultates tolluntur. Sed haec res tota tam difficilis atque contorta est, ut inter rerum scriptores, qui eam commemorant, vix duos reperias, quorum alter cum altero plane consentiat. Quin M. Brutus, qui paene eiusdem aetatis fuit, a Cicerone (cfr. ad Att. XII, 21, 1) vehementer vituperatur, quod de eadem re Catonem primum sententiam de animadversione dixisse scripserat. Fateamur igitur necesse est nos nescire, utrum Caesar, postquam Cicero Catilinariam quartam habuit, sententiam suam paululum mutaverit, ita ut coniuratos non in perpetuum, sed dum Catilina debellaretur, custodiendos esse proponeret, an hoc Tiberio Neroni placuerit, ut Plutarchus summatim, quae ab altera parte censuerunt, comprehendens haec ex Neronis sententia admiscuisse putandus esset Caesaris sententiae. Omnes Ciceronis amicos Plutarchus deinde narrat Caesari assentiri maluisse, quia eius sententiam esse consuli utiliorem duxerunt, quod invidiam metuerunt, quam ex coniuratorum supplicio videbant orituram.

Hanc igitur post Caesaris orationem, quae gravissima fuisse videtur atque ad animos auditorum commovendos maxime idonea, condicionem fuisse ex ipsius Ciceronis oratione patet. Consul enim, cum tantam mutationem a Caesare factam esse vidisset, veritus ne coniurati capitis absolverentur, primum quidem eorum, qui de ipsius salute solliciti erant, metum esse inanem demonstrare studuit, deinde quid Silano, quid Caesari placuisset persecutus in utramque partem atque adeo artificiose disputavit, ut neque illius neque huius vehementer alterum alteri praetulisse aut commendavisse videretur. Neque merito Plutarcho viri docti obiecerunt, quod mirabile illud Ciceronianae orationis artificium non satis perspexit, cum consul non obscure in Silani sententiam propenderet.

Verum tamen Plutarchum hanc orationem perlustrasse praveque intellexisse negaverim: immo vero illum Ciceronis commentario usum ea, quae ibi invenit, exscripsisse affirmo.

Nam Cicero, qui vel in illa oratione se neutri parti favere speciem prae se fert, in commentario multo magis orationem suam cautissime interpretatus esse existimandus est propter invidiam condemnatione coniuratorum postea conflatam, praesertim cum id maxime eum egisse sciamus, ut hoc crimen a se quam longissime amoliretur et in senatum transferret. Ne multa: ex ea, qua ratione de Ciceronis Catilinaria quarta verba fecit, Plutarchum huius commentario usum esse apparet. Neque dubito, quin proxima quoque de Silani sententia mutata ex eodem fonte hausta sint, quae quamvis apud Ciceronem non legantur et ab aliis scriptoribus uno Suetonio excepto recedant, adeo nihil offensionis habent, ut Drumannus, vir doctissimus, haec a Plutarcho diligentius accuratiusque quam ab alio quoquam exponi affirmet (cfr. l. c. III, 173, 62). Atque Catulum, quo nemo Caesari magis infensus erat, primum omnium illius sententiae frustra se obiecisse verisimillimum videtur; sed Catonem demum in Caesarem vehementissime invectum effecisse, ut senatus animadvertendum in deprehensos censeret. Quam laudem sane periculosam lubricamque Cicero Catoni libentissimo animo tribuere solebat, cuius rei permulti loci testes sunt: satis sit unum adscripsisse (cfr. pro Sest. 61): ‚Consule me cum (Cato) esset designatus tribunus pl., obtulit in discrimen vitam suam; dixit eam sententiam, cuius invidiam capitis periculo sibi praestandam videbat; dixit vehementer, egit acriter; ea, quae sensit, prae se tulit; dux, auctor, actor rerum illarum fuit, non quo periculum suum non videret, sed in tanta rei publicae tempestate nihil sibi nisi de patriae periculis cogitandum putabat‘.

Quae denique Plutarchus ultimo cap. XXI loco posuit, non inveniuntur nisi apud hunc: Caesarem de publicatione bonorum aliis obstitisse neque dignum affirmasse humanitate ex sententia sua summota id, quod esset durissimum, accipi; multis vero contra nitentibus, postquam ille frustra ad tribunos pl. provocavit, ipsum Ciceronem cessisse et sententiam de publicatione bonorum remisisse. Atque etiam his in rebus enarrandis ipsum Ciceronem a Plutarcho inspectum et adhibitum esse in oculos incurrit, quoniam ille, qui tyrannus dicebatur crudelis, omnibus se summa iniuria nimiae duritiae atque severitatis accusari hac re comprobavit.

De eis, quae deinceps subsequuntur, brevius disseramus, cum paene nullas habeant difficultates.

Atque primum quidem caput XXII totum affinitatem quam artissimam cum Cicerone prae se ferre et minutissima rerum Nonis Decembr. praeclare gestarum descriptione et consensu cum quibusdam locis Ciceronianis adhuc exstantibus mirabili confirmatur, denique insigni similitudine cum more modoque Ciceronis, quo ipse in sua virtute commemoranda uti solet, ut Heerenius (l. c. p. 186), in iis ‚quae de reditu eius ex foro in domum triumphali fere pompa legimus, ipsa nobis Ciceronis verba superesse‘ suo iure contendat.

Ac ne diutius loquar de re satis perspicua: quaeramus num vestigia illius libelli in capite XXIII deprehendantur. Etiam hoc paucis absolvere possumus. Nam priorem tantum huius capitis partem, ubi qua iniuria Cicero extremis consulatus diebus affectus sit enarratur, in hanc quaestionem cadere patet, quod illum in libro de consulatu scripto res gestas postquam se magistratu abdicavit, attigisse probari non potest, sed finem fecisse supra ostendimus, cum se iurasse memoriae prodidisset sua unius opera rem publicam Romanam salvam esse. Quod quidem iusiurandum Plutarchus ita narravit, ut, si ab eo discesseris, quod ex proximis Caesaris nomen anticipavit atque hoc iam loco eum cum tribunis pl. coniunctum fuisse exposuit, propter consensum etiam singulorum verborum cum eiusdem facti narratione Ciceroniana (cfr. ad fam. V, 2, 7; in Pis. 6) quin hanc praecipuam atque unicam secutus sit auctoritatem, dubitari nequeat.

Quae Plutarchus ex Ciceronis commentario de consulatu Graece scripto cuncta recepisse et in usum suum convertisse cum hucusque plerumque coniectura admodum quidem certa divinari licuerit, silentio transire nequimus disertis verbis ipsum testari se non modo quid Cicero in illo libro scripserit, quid omiserit bene cognovisse, sed etiam praecipue hoc usum esse, ubi de Catilinaria coniuratione exponendi occasio dabatur. Namque in vit. Crass. cap. XIII, de quo loco supra iam disseruimus, Plutarchus alium fontem secutus quendam criminatum esse Crassum participem coniurationis dicit, sed Ciceronem in libro de consulatu scripto nihil de illa suspicione memoriae prodidisse, immo vero Crassum indicia coniurationis

patefaciendae attulisse affirmat. Significat igitur Tarquinii indicium, quod Cicero omisit. Sed ne apud Plutarchum quidem in vita Ciceronis huius mentio fit, ubi id solum de Crasso commemoratur, quod ille Cicerone auctore fecisse fertur[57]).

Atque eodem modo Plutarchus se Ciceronis commentarium adisse dilucide indicat, cum in vit. Caesar. cap. VIII, postquam eadem fere, quae in Cicerone legimus, de Caesaris oratione ceterorumque sententiis exposuit, nonnullis ex fonte nescio quo adiectis de iuvenibus ab ipso consule quominus in illum e senatu egredientem irruerent prohibitis, hoc quidem a Cicerone in libro de consulatu composito omissum esse miretur. Et profecto! idem Plutarchus in vita Ciceronis huius rei prorsus nullam fecit mentionem, quoniam unius Ciceronis auctoritatem amplexus est, qui hanc silentio praeteriit.

His igitur expositis satis demonstrasse videor Plutarchum rerum a Cicerone consule gestarum descriptionem ex ipso Ciceronis commentario de consulatu scripto hausisse.

Sed forsitan quispiam dixerit etiam fieri potuisse, ut Plutarchus hanc rem non ex ipso Cicerone, sed ex alio quodam, qui et ipse illum librum exscripsit, desumeret. Atque hoc loco maxime cogitemus necesse est de M. Tullio Tirone, liberto Ciceronis fidelissimo, qui cum patroni mortui vitam cum diligentia ac pietate conscriberet, ipsius Ciceronis libris de eadem re compositis usus esse existimandus est. Huc accedit, quod quoniam plurimam Plutarcheae vitae partem ex Tirone esse petitam inter omnes constat, mirum esse videtur Plutarchum hac in re alium atque in ceteris sibi elegisse ducem. Sed multa obstant, quominus hoc statuamus. Neque enim ulla causa est, cur in illa vita Tironem a Plutarcho bis laudatum, ipsum vero Ciceronem non esse commemoratum miremur, quippe quem sciamus principalem suum auctorem saepenumero non citavisse testem, nisi occasione oblata si eum erravisse demonstraret (cfr. p. 22.) Hoc igitur cum momenti sit nullius, id potissimum in fontibus Plutarchi

---

[57]) cfr. etiam Weizsaecker. l. c. p. 427.

indagandis cavendum est nobis, ne ei obtrudamus, ut ita dicam, auctorem, quem ne cognovit quidem; id quod in nostram quaestionem minime cadere apparet. Plutarchum enim, quid Ciceronis commentarius contineret, optime scivisse atque lectoribus se hoc libro usum esse diserte indicavisse cognovimus. Deinde id non omittendum existimo, quod Peterus (l. c. p. 131) rectissime intellexit, descriptionem Catilinariae coniurationis a capite X usque ad caput XXIII perspicuam atque dilucidam non modo a narratione earum rerum, quas Cicero contra Clodium gessit, sed etiam a ceteris de illo expositis prorsus discrepare, ut omnino fieri nequeat, ut haec omnia ex uno eodemque fonte petita sint. Atque ne illud quidem praeterire possumus silentio, quod Plutarchum id enixe operam dedisse videri multis exemplis comprobatur, ut memoriam rerum gestarum ab auctoribus ipsis conditam aliorum libris anteferret. Denique quamquam eorum partes non sequor, qui Plutarchum omnino minimam litterarum Latinarum scientiam habuisse atque ob eam rem in vitis Romanorum ducum conscribendis plurima ex fontibus Graecis hausisse opinantur, commentarium tamen Ciceronis, qui sermone Graeco scriptus erat, adhibere eum maluisse quam Tironis libros negari non posse affirmo.

Haec habui, quae de fonte a Plutarcho in his rebus conscribendis adhibito[58]) exponerem.

Eorum quae me hac inquisitione certissime comprobasse mihi persuasi, ut paucis summam repetam, Plutarchus cum in rebus enarrandis a Cicerone consule anno a. Chr. n. sexagesimo tertio gestis id magis studeret, ut adulescentibus, quam imitarentur, consulis de re publica optime meriti imaginem exprimeret, quam ut aliis auctoribus perlustratis, postquam eiusdem rei omnium, quae memoratu digna essent, testimoniorum diligenter undique conquisitorum accuratum instituit examen, ita memoriae proderet, quemadmodum eas res gestas esse si non verum, at certe verisimillimum videretur, unum Ciceronis commentarium de consulatu Graece compositum elegit sibi fontem principalem, qui et facilem aditum et

[58]) De sententiis eorum, qui Plutarchum Sallustio, Livio aliisque usum esse opinantur, alio loco disseram.

copiosam exscribendi atque ornandi materiem ei praebuit. Quae cum ita sint, quoniam iniqua fortuna ex illo commentario nihil nobis reliquum esse voluit, cum ei, qui philologiae operam dant, tum vero historici, qui id maxime agunt, ut omnis, quae hodie exstat, rerum veterum cognitio ad primarios fontes referatur, haud parvam utilitatem ex hac Plutarcheae narrationis parte percipere possunt.